
3 1761 07976716 6

DE

TERENTIO

EIVSQVE

FONTIBVS

SCRIPSIT

FLAMINIVS NENCINI



LIBVRNI

EX OFFICINA RAPH. GIVSTI

MDCCCXCI

IOHANNI CELATI

AMICO OPTIMO

S.

ARGVMENTVM

III. — Epilogus.

L. S.

Ad singularum Terenti fabularum originem et compositionem investigandam Donati commentarius praecipuo est adiumento. Cuius quoniam editio critica adhuc desideratur — praeter praefationum quas A. Reifferscheidius recensuit ex artis formula in indice lectionum Vratislaviensium a. h. s. LXXV | LXXVI edito, — Klotzianam fere sum secutus (Lipsiae 1838-40), nisi ubi quae variis temporibus homines docti ad ea scholia emendanda docte excogitaverunt aut e potioribus codicibus hauserunt in usum meum converti, additis auctoribus: nonnulla forsitan ipse emendaverim. Bembinorum scholiorum editione usus sum principi, quam paravit F. Umpfenbachius (Hermes II a. 1867 p. 337-402): ubi (p. 394) scholii ad Ad. IV 5, 59 verba graeca redintegrare mihi contigit. His praesidiis accedunt cum graecorum exemplarium fragmenta ab aliis scriptoribus servata et veterum testimonia, tum indicia e Terentio ipso ducta. Fragmentorum syllogen Meinekii maiorem in manibus plerumque habui (hinc igitur ea quibus nihil addidi fragmenta profecta sunt), quoniam Kockiana et sero mihi super-

venit, cum maior huius libelli pars absoluta erat, et monosticis quae dicuntur sententiis carebat: attamen et omnia cum Kockii editione contuli studiose et idem ut lectori liceret indice prospexi in fine adiecto. — Ad recentiorum studia quod attinet, ne dicam de libris Terenti comoediarum olim impressis et graeca fragmenta exhibentibus cum locis Terentianis comparata sine ullo certo consilio vel iudicii acumine, G. E. Lessingius primus mihi nominandus est, qui in hac re pauca quidem navavit eaque in transcursu sed et peracuta et summo viro non indigna (*a*). Sed fontium Terentianorum studia tum demum, ut par erat, increverunt, cum primum Menandri fragmenta edidit Meinekius (1833). Namque eo ipso anno Grauertus de contaminatione in Andria Eunucho Adelphis via ac ratione primus disputavit (*b*). Postea vero criticorum studia tripartito dividuntur. Namque alii quaestiones singulas vel data opera aggressi sunt vel in transitu attigerunt (*c*), alii de una alterave fabula disseruerunt (*d*), alii denique rem totam leviter breviterque percurrerunt (*e*). Cum vero nemo copiose absoluteque de fontium graecorum usu Terentiano disserere instituisset, hoc mihi munus suscipiendum decrevi, idque eo facilius quod sperabam fore ut sublimiorem consistendi conspiciendique locum adeptus et verius de singulis ipse iudicarem et aequiori de Terentiana arte iudicio viam aperirem. Quod quantum mihi successerit iudicium penes te est, candide lector. Vale.

Scribebam in Septimo apud Pisas
mense Iulio a. h. s. XCI.

FLAMINIVS NENCINI.

(*a*) Hamburgische Dramaturgie (1768) St. 71-72, 97-100.

(*b*) Grauert W. H. Ueber das Contaminieren der Latein. Komiker. [Historische u. philologische Analekten, Münster 1833, p. 116-207]. Recensuit Fried. Dübner Neue Iahrb. X a. 1834, p. 22-35.

(*c*) Böttiger C. A. Novae editionis Terenti specimen. [V. opuscula, Dresdae 1837, p. 235-76]. Becker De comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestiones, Lipsiae 1837, p. 79 sqq. Zimmermann G. F. Terenz u. Menander: über die Worte des Don. zu des Ter. Ad. V 8, 15. Clausthal 1841 [pp. 20]. Ritschl Fried. Parergon Plautinorum Terentianorumque, Lipsiae 1845, p. 99 sqq., 324-27. Teuffel W. S. Rheinisches Museum N. F. a. 1853 p. 25-50. [Studien u. Charaktere usw., Leipzig 1871 p. 280-88]. Ladewig Th. Beiträge zur Kritik des Terenz, Neu-Strelitz 1858 p. 1-10.

(*d*) Hermann C. Fr. Terentii Andria quam fideliter ad Menandrum expressa sit. Marburgi 1838. Eiusdem Disputatio de P. Terentii Adelphis, Marburgi 1838 [Iahns Archiv VI a. 1840 p. 65-79]. Ihne W. Quaestiones Terentianae, Bonnae 1843 [And., Eun., Ad.: pp. 42]. Fritzsche Frz. Volcm. De Hecyra. Quaestionum Terentianar. spec. I, Rostochii 1849, p. 21-26. Eiusdem De Phormione, spec. II, Rostochii [pp. 8]. Spengel A. Ueber die Composition der Andria des Ter. [Sitzungsberichte d. philos. philol. u. hist. Cl. d. Acad. d. Wiss. zu München. Iahrg. 1873 s. 599-622]. Venediger K. Zum Haut. des Ter. [Iahrb. f. cl. Phil. CIX a. 1874 p. 129-136]. Dziatzko K. Die Andria des Menander [Rhein. Mus. XXXI a. 1876 p. 234-53]. Braun Konradus. Quaestiones Terentianae, Gottingae 1877 [And. et Eun.: pp. 40]. Hildbrandt Franciscus. De Hecyrae Terentianae ori-

gine. Halis Sax. 1884 [pp. 51]. Klasen. Quam rationem Ter. in contaminatis fabulis componendis secutus esse videatur. P. I quae Adelphos complectitur, Rheine 1884 [Hanc commentationem me non potuisse videre aegre fero].

(*e*) Köpke G. Ueber die den griechischen Originalen nachgebildeten Schauspiele der Römer. [Zimmermann's Zeitschrift f. d. Alterthumwiss]. Darmstadt, Iahrg. II a. 1835 n. 153-55 p. 1226-43. Könighoff I. De ratione quam Terentius in fabulis Graecis latine convertendis secutus est. Coloniae 1843 [pp. 62]. Rummler. Quaest. Ter., Halis Sax. 1873 [pp. 43. Nullius preti est]. Regel Georg. Terenz im Verhältniss zu seinen griechischen Originalen. Wetzlar 1884 [pp. 16]. Kamp Fried. Die Lustspiele des Ter. u. ihre griechischen Originale. Halberstadt 1884 [pp. 19]. Hic mihi commemorandus etiam est Theodorus Benfey interpres Terenti eximius *(Stuttgart 1837)*, qui in fabularum praefationibus satis multa exhibuit de fontibus egregie disputata.



I.

PROLEGOMENA

§ 1. — DE CONTAMINATIONE.

I. De **contaminatione** apud latinos comicos iam quidem usque ad satietatem disputatum est; sed tantum abest ut omni ex parte quaestio absoluta sit, ut etiamnunc ambigatur non solum quid vere **contamino** significet ap. Ter., sed etiam quatenus contaminationis incusatio pertineat ad componendi artem Terentianam translata. De vocabuli significatione criticorum sententiae bipartito dividuntur prout in bonam tantum aut tantum in malam partem haec vox a Terentio usurpata censetur. Primae opinionis defensores extiterunt Gesnerus [1] Grauertus [2] alii, altera

[1] Comment. societ. Goetting. t. III p. 252 sqq.
[2] Hist. u. phil. Anal. p. 116 sqq.

magis placuit Ruhnkenio[1] Koenighoffio[2] aliis. Sed hoc discrimen facile tolli posse mox apparebit. Nulla quidem dubitatio quin **contamino** a **contamine** idque a rad. **tag** rectissime derivetur ut Grauertus luculentissime demonstravit;[3] at non item liquet quo iure vir doctus inde vim conflandi contexendi conglutinandi sim. eliciat nullo confirmatam exemplo.[4] Etenim una opera aliquis vindicet eidem vocabulo significationem compilandi furandi sim., cum v. **tango** hoc etiam significet.[5] Quaecumque igitur e vocis etymologia prompseris, fieri quidem potest ut aliquam probabilitatis speciem exhibeant, nullum tamen necessitatis habent momentum. At sufficit ad definiendam vocabuli vim hic unus Heaut. prol. locus qui recte interpretantibus discriminis rationem exhibet:

" — quod rumores distulerunt maliuoli
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas, factum id esse hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat. „

---

[1] Dictata in And. prol. v. 16 (in Gr. analectis p. 30 sq.)

[2] De ratione q. s.

[3] Adferri etiam poterat verbum adfine **contingo**. Juv. II 288 sq.: " nec uitiis contingi parua sinebant Tecta. „

[4] Nam quae vulgo adferuntur eius modi sunt ut significationem utramque aeque recipiant: Eun. III 5, 4 (locus And. V 5, 5 non obstat), Att. Atreo fr. VII R.: " quod re in summa summum esse arbitror Periculum, matres **conquinari** regias, **Contaminari** stirpem ac misceri genus. Cf. Cic. dom. 13, 35.

[5] V. Cic. fam. II 17, 15, **tagax** ap. Fest. cl. Non. p. 408, 33, Cic. Att. 6, 3, 1. Hor. ep. I 3, 15-17: " Monitus multumque monendus **Priuatas** ut quaerat opes et **tangere** uitet Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo. „

Nam h. l. **contaminare** neque proprie corrumpere vitiare sim. significat quemadmodum scholiasta Bembinus interpretatur — fateretur enim poeta se graecas fabulas corrupisse — neque omnino conflare contexere sim. — nihil erat enim cur de malivolis rumoribus poeta loqueretur aut haec adderet " factum id esse hic **non negat** neque se **pigere** q. s. „ nisi illud " contaminasse „ aliquid reprehensionis prae se ferret. Quod si ita est, — nec vero aliter existimo — sequitur ut **contaminare** h. l. non proprie sed ironice dictum intellegatur. Fatetur scilicet poeta se et fecisse et deinde facturum id quod adversarii tamquam contaminationem graecarum fabularum vituperabant. Continuatur idem ipse adversariorum contemptus etiam per insequentes versiculos, quibus poeta profitetur malle se bonorum poetarum neglegentiam quam istorum obscuram diligentiam aemulari. Hinc duo efficiuntur: *a)* illud " contaminari fabulas „ non posse per se ipsum in bonam tantum partem usurpari ut sit: ex duabus aut pluribus unam fieri,[1] *b)* hanc significationem iniuria ex vocabuli etymologia duci cum sit primum a Terentio per εἰρωνείαν prolata ut suo ipsorum verbo adversarios carperet.

II. Si verba igitur Terenti proprio sensu accipias respuit poeta inridens contaminationis (ita uti nomen fert) crimen, simul vero fatetur se de multis graecis fabulis paucas fecisse latinas. Nunc vero quaeritur

---

[1] Mitto Donati scholium ad And. prol. 16 quod non id declarat contaminare quid sit, verum id tantum quod Terentius fecit.

utrum Lusci criminatio ad duarum tantum fabularum confusionem pertinuerit, ut Andriae prologus prae se ferre videtur, an etiam latius patuerit. Si primo loco reputaveris parum esse veri simile Luscium comicorum veterum litterate peritum inque eorum lectione Terentio ipso exercitatiorem (v. Eun. prol. v. 25-28) ignorare potuisse quo modo Naevius Plautus Ennius fabulas suas composuerint, nonnihil ideo intercedere debuisse inter veterum comicorum et Terentianam contaminationem, poteris fortasse conicere Terentium eam tantummodo criminationis partem extulisse quam facile refellere posset. Quod si ita est, non prohibemur quo minus eam quam Luscius intenderit incusationem ratione et cogitatione redintegrare conemur. Obscurum non est Terenti aetate conditionem rei comicae non parum immutatam esse ab ea quae Naevi Plauti Enni vigebat temporibus, atque gliscente graecarum litterarum studio et admiratione comoediam palliatam pressius pressiusque graecis exemplaribus adhaesisse:[1] id quod inter cetera e titulis fabularum conspicitur, quos Terentius numquam nisi in Phormione idque coactus[2] immutavit, nomen tamen parasiti graecum retinens. Quodsi id etiam perpendas quod Donatus tradidit in Adelphorum praefatione: " potuit eam Terentius Fratres dicere, sed et Graeci nominis euphoniam perderet et praeterea togata ui-

---

[1] Ritschel. Par. 144.

[2] Dziatzko Phorm². *einleit.* p. 41 sq. Luscius vero numquam titulos mutavisse videtur, ne tum quidem cum ad Plauti exemplum id facere potuisset, ut in Phasmati (cf. Pl. Mostell.) et Thensauro (cf. Pl. Trin.).

deretur, ad summum non statim intellegeretur Menandri esse, quod Terentius inprimis cupit scire lectorem minus existimans laudis propria scribere quam Graeca transferre,[1] „ possis inde colligere Terenti aetatis tale fuisse ingenium, ut ad captandum spectatorum favorem sese poetae Graecorum fidos faterentur interpretes. Cui opinioni id etiam favet quod Terentius *numquam* se quidquam de suo dedisse indicavit. Quodsi ita se res habent, et indignatio Terenti facile explicatur qui fateri coactus sit quod minime vellet nec prorsus inepta apparet incusatio Lusci Terentium redarguentis quod titulo non mutato fabulam mutaret titulique expectatione populum aliquo modo deciperet. Tum quia grammaticam contaminandi notionem ab usu Terentiano alienam esse diximus, liquido patet potuisse Terentium Lusci iudicio contaminare graecas fabulas etiamsi non binas tantum earum in unam confunderet sed sententias quasdam vel praecepta vel breves narratiunculas a quotquot libuit graecis fabulis mutuatus aut integra transferret aut parum mutata in quadrum redigeret, atque ita non ad solam oeconomiam criminationem Lusci spectare, verum in multo etiam levioribus rebus constitutam esse. Cui sententiae quoniam ne prologus quidem Andriae obstat — nam illud “ in eo disputant „ v. 15 (sc. in eo facto) diserte ostendit non tantum “ id factum „ a Luscio vituperari quantum rationem facti i. e. consuetudinem transferendi in unam fabulam e pluribus ea quae in illam quoquo modo convenirent, — non per-

---

[1] Reiff. p. 6.

spicio cur Donato fides neganda sit adnotanti ad And. prol. v. 16 " contaminari — fabulas: de *multis* unam non decere facere, „ et ad IV 5, 3: " hanc sententiam Menandri de Eunucho transtulit (sc. Terentius) et hoc est quod dicitur contaminari non decere fabulas. „ Qui quidem loci cum inter se concinant conspirentque ambo sine dubitatione uni Donato debentur. Sed hunc alterum ut spurium proscribit Ihnius hac subiecta ratione: " singulas sententias ex alio scriptore mutuari nullus umquam antiquorum dubitavit; quare Afranius Cicerone auctore (de finib. I, 7) *solitus erat*, locos quosdam de Menandro transferre, atque de se ipse scripsit (Macr. Sat. VI, 1):[1]

" — Fateor, sumpsi non ab solo illo modo,
Sed ut quisque haberet conueniret quod mihi,
Quod me non posse melius facere credidi,
Etiam a Latino. „

Quis autem est, qui Afranium, togatarum scriptorem, contaminasse dictitet? Quae cum ita sint, qua fretum audacia Luscium credamus id tamquam peccatum Terentio obiicere esse ausum, quod sibi indulgebant omnes? „ Quaest. Ter. p. 7. Haec omnia a falsa vocabuli **contam.** notione profecta esse nemo est quin videat. Cum enim unus Terentius data opera ut vidimus peculiari illo quem Ihnius sequitur significatu usus sit, nihil mirum quod nemo memoriae prodiderit Afranium contaminasse. Ceterum quam lubrica sint huius modi

---

[1] [Ribbeck. Com.[2] p. 168.]

petita e silentio scriptorum argumenta vel eo evincitur quod ni Luscius Terentio male dixisset nihil de Naevi Enni Plauti contaminatione compertum haberemus. Tum autem ut diversa tempora diversamque togatae et palliatae conditionem silentio praeteream, Afranius confitetur se a graecis poetis sumpsisse quaecumque ipse meliora facere nequiret, Terentius contra incusabatur quod vel graeco exemplari aliunde sublata adderet vel iis remotis quae suo quodque loco nata erant aliena insereret, quasi vellet exemplar ipsum corrigere et " melius facere. „ Qua in re adeo dissentiebat Luscius ut ei potius Terentius videretur et prototypon et cetera quae adhibebat exemplaria deformare et corrumpere.[1] Cum ita se res habeant, iam liquet cur Terentius in Heaut. prol. v. 17 sq. confiteatur se " **multas** contaminasse Graecas, dum facit **Paucas** Latinas. „ Nam etiamsi Adelphoe non primum " secundo loco „ acta ut tradit Donatus in praefat.[2] sed " facta sexta „ putetur ut ex didascalia accipimus atque ita Andria et Hecyra solae ante Heaut. scaenae commissae fuerint, manifestum est vel tres 'Ανδρίαν Περινθίαν Εὐνοῦχον multas per ὑπερβολήν a Luscio

---

[1] Quas enim fabulas Terentius praeter principale ita ut dicam exemplar adhibebat; eatenus contaminabat quatenus **integrae** ab aliis transferri deinceps non poterant. Ita etiam contaminatio gentium a non legitima adoptione orta ad eam quoque pertinebat gentem quae deserebatur. Cic. dom. 13, 35: " Tu neque Fonteius es qui esse debebas neque patris heres neque amissis sacris paternis in haec adoptiua uenisti. Ita perturbatis sacris, **contaminatis** gentibus et **quam deseruisti** et **quam polluisti**, iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto, factus es eius filius contra fas cuius per aetatem pater esse potuisti. „

[2] Reiff. p. 7. Cf. Dziatzko. Phorm.[2] *einleit.* p. 12[3].

potuisse dici, nisi forte etiam alii aliarum loci in ambas irrepserunt de quibus Donatus tacuerit.[1] — Admonendum est denique graecas tantummodo fabulas ut par est iudicio Lusci a Terentio contaminari nihilque esse ideo cur de contaminatis latinis agatur atque Terentianae fabulae in integras et contaminatas distinguantur. (Quorsum spectet illud " integram comoediam Hodie sum acturus „ Heaut. prol. 4-5 suo loco videbimus). Quam ob rem hac divisione missa in examinandis Terentianis fabulis temporum ordinem sequemur ut quaeque primum acta esse aut agi coepta videatur, hoc unum persecuti ut componendi ratio Terentiana quot sensim effecerit processus e tota commentatione conspiciatur.

§ 2. — DE NVMERO ACTORVM EIVSQVE IN FONTIVM INVESTIGATIONE VSV.

I. Quoniam actorum numerum certis ap. graecos novae comoediae scriptores legibus destinatum esse plerique omnes censent, inquirendum est in hanc rem paullo diligentius, quippe quae etsi proprie ad antiquitatum disciplinam pertinet pro fontium tamen in-

---

[1] De Hecyra quidem deficiente prologo primo multa conici possunt. Sed quoniam de duarum fabularum confusione ne cogitari quidem potest, ut deinceps est videndum, atque ex iis quae disputavimus colligitur vel eam graecam fabulam contaminatam putari quae non tota latine verteretur, a vero procul non est graecam Hecyram quibusdam partibus imminutam a Terentio esse eamque ob rem contaminatam et ipsam habitam. Quod si ita est quattuor fabulae prae duabus iure multae dici potuerunt.

vestigatione, praesertim quod attinet ad oeconomiam, maximi momenti esse primo obtutu videatur. Namque si vulgatam de actorum numero novae comoediae proprio opinionem sequeremur, mirum quantum perturbata a Terentio singulorum exemplarium oeconomia censenda esset: modo non dimidium cuiuslibet fabulae et plus eo interdum aut uni Terentio vindicandum esset aut magno opere ab eo commutatum censendum. Cum enim numerus actorum, quos ad singulas Terentianas fabulas agendas necessarios esse ex ipsarum examine conspicitur, inter quinarium et septenarium fluctuet,[1] tribus tantummodo actoribus Graeci usi esse putantur, personis neglectis vel mutis vel paucula loquentibus.[2] Sed commode sane accidit ut haec de ternario actorum numero regula graecarum ipsis fabularum vestigiis accurate expensis atque comparatis nunc iam possit improbari. Nam, ut de Andria primum loquar, demptis Charini Byrriae Sosiae personis quas graeco exemplari defuisse certo constat nec non Dromonis perpauca loquentis et Glycerii post scaenam clamantis, personae 'Ανδρίας fuerunt septem, Simo Davus Chremes Pamphilus Crito Mysis Lesbia, quae quidem una excepta Lesbia suum

---

[1] Fr. Schmidt. " Ueber die Zahl der Schauspieler bei Plautus u. Terentius „ Erlangen 1870. Re vera autem num Romani necessariis tantum actoribus ut Graeci usi sint certo non constat; sed pro ratione huius commentationis hoc minime refert.

[2] " Was die iüngere komödie anbetrifft, so steht auch für diese die dreizahl fest. — Erst die römische palliata verwandte eine grössere anzahl von schauspielern. „ Alb. Müller " Die griech. Bühnenalterthümer „ Freiburg 1886 p. 174; cf. Bergk " Griech. Littgesch. „ III p. 85.

quaeque actorem expostularunt. Etenim graecae fabulae reliquiae demonstrant **Simonem** collocutum esse cum Davo Don. ad I 2, 33,[1] II 1, 3, III 4, 13, cum Chremete Don. ad III 3, 11, IV 4, 16, cum Critone Don. ad IV 4, 16 eumque cum Lesbia concurrisse Don. ad III 2, 3, cf. ad III 1, 15. Tum quia parturientis Glycerii exclamatio: “ Iuno Lucina q. s. „ quae de graeca fabula manavit Don. ad III 1, 15 eo spectavit ut senis augeretur suspicio, etiam cum Myside simul in scaena fuisse Simo censendus est. Porro ea verba quae Davus pronuntiat II 4, 3 ad adhortandum Pamphilum adversus patrem quaeque etiam ap. Men. fuisse Donatus docet ad h. l. diserte ostendunt etiam cum Pamphilo Simonem congressum esse: accedit quod in ea scaena V 3 ambo collocuntur quam de graeca fluxisse e Donati verbis ad v. 20 colligas adnotantis illum versiculum proprium Terenti esse: id enim satis innuit ceteros Menandreos esse. **Davus** concurrit cum Simone ut diximus, cum Myside Don. ad IV 3, 11, IV 4, 55-56, cum Chremete ibid., cum Lesbia Don. ad III 2, 3, cum Pamphilo Don. ad III 5, 5. Restat an concurrerit cum Critone. **Chremes** allocutus est Simonem et Critonem Don. ad III 3, 11, IV 4, 16, in scaena fuit una cum Davo et Myside Don. ad IV 3, 11, IV 4, 55-56. At etiam cum Pamphilo eum una fuisse concedet quicumque reputaverit in act. V scaena tertia et quarta (quas de And. graeca fluxisse e scholiis ad V 3, 20 ut dixi et V 4, 16 colligitur) per ambos

---

[1] Donatus ut constat principale tantum exemplar ante oculos habuit. V. Ihne Quaest. Ter. p. 13.

res transigi cum maximas tum eius modi ut a Terentio inventas nullus sit putaturus iustus rerum existimator. Dubium an etiam cum Lesbia concurrerit. De **Critonis** cum Simone et Chremete congressu supra diximus; IV 5, 5 Crito adveniens salutabatur a Myside Don. ad h. l. Idem fuit certe etiam cum Pamphilo, siquidem a Pamphilo introducitur ea scaena de A. gr. sublata V 4 quam nuper memoravimus. Cum eo num Davus et Lesbia convenerint incertum est. **Mysidem,** quam cum Simone Davo Chremete concurrisse vidimus, collocutam esse cum Pamphilo non negabit nisi temerarius, cf. I 5, IV 2. **Pamphilum** denique cum omnibus praeter Lesbiam concurrisse argumentati sumus. Missa igitur Lesbia, de solis Davo et Critone num concurrerint in ancipiti est. Sed quoniam partes Davi actori Critonis delatas esse post v. 794-95 (cf. Don.) statim exeuntis salutatique ab ipsa Myside IV 3, 6 (cf. Don.) quae cum Davo erat nullo pacto concedendum est, sequitur ad docendam Andriam Menandream sex actores necessarios fuisse.[1] Quae cum ita sint, quoniam Andria Terentiana in qua Charinus suum habet actorem a septenis actoribus doceri potuit, v. Schmidt. l. s. s. p. 39 sq., manifesto apparet unam Charini personam discriminis causam esse. — Fragmentorum defectu statui nihil potest de Hecyra et Heauton timorumeno: utraque vero ut nunc est quinque actores postulat, v. Schmidt. p. 41 sq. Quinque

---

[1] Lesbiae autem partes aut Chremetis aut Critonis aut Pamphili actori demandari potuerunt: Critonis vero actori aptius fortasse quam ceteris.

actores fortasse etiam graecae Eunucho necessarii fuerunt, quippe latinae (in qua Thrasonis et Gnathonis personae aliunde adscitae suum utraque actorem requirunt) vix septem sufficiant.[1] — Phormio a senis potuit actoribus doceri: totidem fortasse etiam Epidicazomeno Apollodori opus fuerunt; sed de quattuor tantum certa ratione constat, quippe Geta Demipho Phaedria Antipho suo quisque actore indiguerint. Nam etiamsi de Demiphonis et Antiphonis concursu certa non extent indicia, attamen quia fieri non potuit quin post discessum Demiphonis Antipho in scaenam veniret v. 463 et a Geta audiret patrui adventum praenuntiari, v. Don. ad III 1, 18, apertum est utriusque partes uni comoedo sine totius exemplaris perturbatione non potuisse demandari, praesertim cum etiam in latina et ambo in scaena simul compareant IV 3 et utriusque adventus exitusque sese presse invicem excipiant V 3, V 4, V 6, V 8. Quattuor istae personae ita concurrunt:

---

[1] Personae sic concurrunt:

I. **Parmeno**: Chaerea Don. ad II 2, 58.
— Phaedria Don. ad I 1, 1 et fr. 1 M., I 1, 32 fr. 2.
— Laches Don. ad V 5, 31.
II. **Chaerea**: Parmeno.
III. **Phaedria**: Parmeno.
— Pythias Don. ad IV 4, 1.
— Dorus ibid.
IV. **Pythias**: Phaedria.

Missis Lachete Doro ceteris de quibus nihil constat, ea re ut quattuor saltem personarum concursus fiat oportet Pythiam cum Phaedria concurrere. Quod ni fiat oporteat ridiculare episodium inter Pythiam et Parmenonem V 4, V 6, Chaereae occursum cum Pythia V 2 et Phaedria V 8, 20 Menandro abiudicare. Quod quam veri simile sit alii viderint.

I. **Geta:** Demipho Don. ad II 1, 51, IV 3, 42, IV 3, 56 et 63.
— Phaedria Don. ad III 3, 29.
— Antipho Don. ad III 1, 18, III 3, 29.
II. **Demipho:** Geta.
— Phaedria Don. ad II 1, 51.
— [Antipho].
III. **Phaedria:** Geta.
— Demipho.
— Antipho Don. ad III 2, 21.
IV. **Antipho:** Geta.
— [Demipho].
— Phaedria.

Sed etiamsi graeci exemplaris indicia uberiora deficiant, quis dixerit **Phormionem** qui primas habet ap. Ter. prol. v. 27 suo actore non eguisse? — Unus igitur de quo ambigi potest actor est Nausistratae. Nam reliquae personae, e quibus tantum Davum cum Geta Don. ad I 1, 15, I 2, 37, I 2, 41 et Chremetem cum Demiphone Don. ad IV 1, 9, IV 1, 21 concurrisse constat, aliarum aliae personarum actoribus deferri commode potuerunt. — Ad gr. Adelphos quantum spectat. concurrentium personarum conspectus hic est:

I. **Demea:** Micio Don. ad I 2, 1; I 2, 13 fr. inc. 506 M., V 3, 17 fr. 12; Don. ad V 8, 15.
— Aeschinus V 8, 14-15 Don.
II. **Micio:** Demea.
— Aeschinus IV 5. 59 fr. 10.
— Hegio IV 3. 14 fr. 9.

III. **Aeschinus:** Demea.
— Micio.
— Ctesipho Don. ad II 4, 11.
IV. **Hegio:** Micio.

Unde conspicitur unum Hegionem, ut Ctesiphonem praetermittam, cum Demea et Aeschino non concurrisse. Sed ad Aeschinum quod attinet, quoniam Micione in sororis domum IV 3, 14 sqq. ab Hegione detruso — idque iuxta Men. v. Don. ad h. l. — continuo prodit Aeschinus quem paucis interiectis versiculis alloquitur pater egressus — veluti ap. Men. v. fr. 10 et Ter. IV 5, 59, — aperte perspicitur vix licuisse Aeschino Hegionis partes sustinere aut huic illius. Sed putemusne Hegionem, quem ap. Men. quoque in scaena apparuisse constat ut vidimus, cum Demea non concurrisse et hunc alia quadam ratione de vitio Pamphilae illato certiorem esse factum? Putemusne **Syrum** cui an primae deferendae sint Donatus incertus haeret (v. praefat.), per quem res geruntur maxime, proprio actore usum non esse? His igitur saltem quinque personis possis non sine magna probabilitate suum cuique actorem tribuere.

Haec omnia vero quae de quinariis et senariis actoribus hucusque disputavimus quaeque Plautina exempla confirmant,[1] quo modo cum veterum testi-

---

[1] Numero actorum quinario Plautum ut plurimum usum esse (nos dicimus: uti potuisse) demonstravit Frid. Schmidtius l. s. s. p. 45-46, cum ad decem Plauti comoedias agendas i. e. Amph. Asin. Bacch. Cas. Curc. Men. Mil. Mostell. Pers. Trin. hic numerus sufficiat, ad reliquas etiam minor praeter Rudentem et

moniis scriptorum cohaereant tum graecorum tum latinorum qui uno excepto Euanthio p. 4 Reiff. de ternariis tantum actoribus miro consensu verba faciunt, ignorabimus fortasse donec intricata quaestio de partium inter actores distributione in clariore luce posita sit. Huc enim pertinere discrepantiae rationem, si veterum scriptorum et Euanthi ipsius verba expendas, tibi forsitan persuadeas. Cum enim ap. Graecos nullus ultra τριταγωνιστήν actor commemoretur, immo ne vocabulum quidem extet pro quarto actore[1] itemque ap. Romanos primarum quidem secundarum tertiarum actores commemorentur[2] at numquam quartarum quintarumque et Donatus ipse in singulis Ter. fabular. praefatt. trium tantum personarum partes certo ordine distinguat, cumque adeo constet primarios secundarios tertiarios actores iam prius stabili

---

Poenulum qui sex actores postulant. In tot fabularum consensu non temere factum arbitror, si de Graecorum comoedia disserens ad Plautum provocavi. — Num etiam Andriae Menandreae actores ad quinque redigi possint, alii viderint: certe Rudens et Poenulus nulli sunt impedimento. Etenim, ne contaminationis Plautinae memoriam excitem, haec tantum noto (nam longiori inquisitioni tempus nunc mihi deest): in Rudente et in hac quidem sola Plautina Palaestram liberalem honestamque puellam saepenumero in scaena loquentem induci vel post agnitionem, id quod contra praeceptum Donati est in And. praef.: " adnotandum sane puellarum [in proscaenio] liberalium nullam orationem induci in comoedia palliata (*erat igitur Graecorum mos*), praeter inuocationem Junonis Lucinae, quae et ipsa quoque post scaenam fieri solet „ (ed. Reiff. p. 4; cf. schol. ad Ad. III 4, 41), et ultimam Poenuli scaenam, quae sex exhibet personas colloquentes, supervacaneam esse atque Camerario duce suppositam plerumque haberi. V. ed. Ritschel. p. 170.

[1] Vel figurato sermone τρίτα λέγειν at non τέταρτα dicitur. CGF IV 135.

[2] Cic. Div. in Caec. § 15.

proprioque ordine destinatos esse quam poeta comicus suas cuique partes in una quaque fabula adsignaret,[1] silentium veterum de quarto quinto sextove actore possis inde fortasse explicare, quod hi nullo prius ordine per se ipsi distincti quotiescumque fabula daretur prout quisque aptior poetae videretur accommodatas sibi partes susciperent aliosque in aliis fabulis locos obtinerent: id quod significare videtur Euanthius ipse, quippe numerans " qui primarum partium, qui secundarum partium tertiarumque, qui **quarti loci** atque **quinti**[2] actores essent „ diverso pro ultimis verborum genere utitur. Quoniam vero quae fuerit quarti quintique loci actorum conditio et disciplina, utrum sextus quem in Andria Men. comparuisse docuimus proprius fuerit an ex occasione adscitus in obscuro adhuc est, per se quisque facile intellegit quam sit temerarium tam incertis subsidiis uti ad inquirendum in Terentianam contaminationem.

II. Nec plus profeceris, arbitror, si quae Horatius a. p. 192 et Diomedes a. gr. GLK. III 491 notissima de personis in scaena loquentibus memoriae prodiderunt in partes vocaveris. Namque Horatii praeceptum et Diomedis verba, si quam pro Graecorum comoedia vim habent — pertinent enim ad tragoediam, — ad pulchritudinem simplicitatemque graecarum fabula-

---

[1] Plotin. III 2, p. 484 Creuz.: ὥσπερ ἐν δράμασι τὰ μὲν τάττει αὐτὸς ὁ ποιητής, τοῖς δὲ χρῆται οὖσιν ἤδη· οὐ γὰρ αὐτὸς πρωταγωνιστὴν οὐδὲ δεύτερον οὐδὲ τρίτον ποιεῖ, ἀλλὰ διδοὺς ἑκάστῳ τοὺς προσήκοντας λόγους ἤδη ἀπέδωκεν ἑκάστῳ, εἰς ὃ τετάχθαι δέον.

[2] Certa coniectura " quinti „ reposuit Reifferscheidius pro " quintarum, „ quod habent codd.

rum spectare in quam complures latini poetae peccaverint rectissime perspexit Steffenius[1] simulque monuit huius modi praeceptum observatum esse a Terentio in Eun. IV 7 ubi sermones ita distributi sunt " ut dum duae vel tres personae per aliquod tempus inter se colloquuntur reliquae taceant „. Confirmat huius modi sententiam hic Euanthi locus: " Illud quoque mirabile in Terentio quod non ita miscet personas quattuor ut obscura sit earum distinctio,[2] „ unde efficitur et alios in hanc rem peccasse et de personis inter se colloquentibus, non in scaena loquentibus, hoc intellegendum esse: quod ni esset, iure quaeri posset cur de quattuor tantum personis loquatur Euanthius, cum Terentius etiam quinque introducere soleat. Huc etiam pertinet Donati scholium ad Eun. III 2, 1: " Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum et tamen uirtute et consilio poetae discretarum ut confusio nulla sit facta sermonis. [3] „ Quodsi haec scaena atque ea quam protulit Steffenius (Eun. IV 7) contaminationi debentur, exempla etiam abundant quae huius modi excusationem non habent. At si quinarius personarum in scaena loquentium numerus de mutato exemplari fidem facere propter se solus censendus non est, fatendum est tamen Terentium siquando hoc numero de suo usus est intra artis graecae leges stetisse semperque cavisse ne quarta loqui persona laboraret.

---

[1] De actor. in fab. Ter. numero et distributione (in Actis soc. phil. Lips. II fasc. I p. 107-158) p. 110-11.

[2] Euanth. de trag. et com. 15 Klotz.

[3] Quae quidem confusio quam facile oriri potuerit sentiet quicumque graecorum theatrorum amplitudines reputaverit.

II.

DE SINGVLIS FABVLIS

§ 1. — ANDRIA.

I. Non mediocrem viris doctis difficultatem praebuit notissimus ille Suetonii locus (in vita Ter.), unde discimus Terentium cum primam hanc fabulam scaenae committeret ad Caecilium comicum missum esse, cuius exploraret iudicium. [1] Cum enim Caecilius quoque cognominem fabulam scripsisse feratur, [2] quam quidem et palliatam et de Menandro conversam fuisse eo probatur quod Caecilii palliatas tantum et unam ex Graecis Menandri Andriam novimus, iure mireris

---

[1] Probanda non sunt quae S. Betti " Sulla patria del poeta com. Ter. „ in " Atti dell'accad. rom. di arch. XIV p. 139 sgg. „ de fide huic narrationi prorsus abroganda disputat ea re, quod Hieronymus in Euseb. chron. olymp. CL 2 de Caecilio dicat " mortuus est anno post mortem Ennii q. s. „ i. e. biennio ante quam Andria Ter. ageretur. Nam ex eo quod in eod. chron. eadem narratio (e Suet. sine dubio profecta) paene iisdem verbis expressa reperitur rectius infertur Hieronymum non Suet. sibimet discrepuisse eumque propterea de anno Caecilii mortis errasse. Ceterum v. C. Cavedoni " opusc. relig. mor. e lett. Modena, 1857, „ p. 2-3, Ritschel. opp. III p. 497 sq., Dziatzko. Phorm². Lips. 1885, p. 11³ sq.

[2] Nonius 152, 17 " putidam putre.... Caecilius Andrea: Conducit nauem putridam. „ Ribbeck. Com². p. 37.

quid sit quod Caecilii mentio cum prima poetae fabula conexa bis inveniatur nec Luscius poetam furti insimulaverit, qui fabulam iam tractatam a latino poeta retractandam sibi susceperit. Videamus igitur quo modo haec omnia extricari possint. Caecilianam Andriam in dubitationem revocandam esse equidem non censeo, [1] modo Andriae prologus paullo aliter intellegatur quam adhuc factum est. Nam in omnibus Terentianis prologis, si quam poeta novam daturus esset fabulam, omisit numquam ostendere: Heaut. prol. 7 " Nouam esse ostendi, [2] „ Phorm. prol. 24

---

[1] Ritschelius " Androgynus „ pro " Andrea „ ap. Non. reponi iussit (Parerg. I 133), quae nimis incerta est coniectura. Dziatzko mus. rhen. XXXI (1876) p. 247 not. eo etiam haeret, quod Suetonius de Caecilii Andria tacuerit, eamque ideo de alia quadam graeca Andria cuius perierint fragmenta sublatam esse suspicatur, non de Menandrea. At quoniam cum argumento fabulae titulus 'Ανδρία nihil habet commune (contra Βοιωτία, Δηλία, 'Εφεσία, Κορινθία, Λευκαδία, Λήμνιαι, Μεσσηνία, 'Ολυνθία, Σαμία, alii tituli a compluribus adhibiti sunt poetis argumenti similitudine adductis, cf. Meinekii hist. crit.), causa nulla est cur duae fabulae hoc nomine inscriptae extitisse dicantur. Argumentum autem ex Suetonii silentio petitum nimis leve est: etenim nemo non videt Donatum aliqua ex Suetonio excerpisse, non omnia excripsisse. — De prologi silentio ne Ribbeckius quidem verum enucleasse mihi videtur haec coniciens: " ut ex Andria et Perinthia suam fabulam contexuit Terentius, ita Caecilius aliis aliunde partibus adsumptis satis diversum argumentum proposuisse fingi potest. „ Hac enim ratione Terentius postea Menandri Adelphos episodio Diphili auxit integro a Plauto relicto, nec tamen vitavit furti crimen aut saltem Andriae memoriam excitavit.

[2] C. Dziatzko, qui de Heaut. prol. uberrime atque ut solet ingeniosissime dissertavit in libello " De prologis Plautinis et Terentianis, Bonnae 1864 „ p. 5-17, ad singularem de hoc loco pervenit sententiam, quae quidem mihi plus acuminis quam veritatis habere videtur, quamvis Guil. Wagnero valde placuerit (Iahrb. f. phil. XIC a. 1865 p. 279-293.) Facile equidem concedo

" adporto nouam Epidicazomenon, „ Hec. prol. I v. 5 " nunc haec planest pro noua, „ Ad. prol. 12 " Eam nos acturi sumus nouam. „ Duas tantum fabulas, Andriam et Eunuchum, non adserit poeta novas esse. Quod ad Eunuchum attinet, facile quidem intellegitur non potuisse nova dici quae duas haberet personas iam antea in latinam scaenam prolatas. At quid de Andria statuamus? Duo mihi necessario effici videntur: aut prologum qualis nunc extat ad fabulam non primum sed iterum actam pertinere aut Nonii testi-

---

aliquot versus post v. 3 intercidisse, quae Ritschelii quoque sententia fuit; sed adduci non possum ut versus Heaut. prol. 7-9 in Hec. prol. I transferendos esse arbitrer ibique post v. 7 collocandos, ea vero ratione ut et ante et post eos alii versus deesse putentur. Quod si ita esset, quamvis verba " ex integra graeca „ satis ostenderent vel Dziatzkonis iudicio novam Heauton timorumenon esse, hoc tamen non ita videretur urgeri, ut factum esse credo. Iam quid de v. 4 sentiamus, quem ad " contaminationem „ spectare ratus Dziatzko " certa argumentatione „ probari defendit illud " nouam esse ostendi „ huc non quadrare, infra docebimus. Nunc satis habeo, si refuto illud, quod Dz. contendit, non necessario a Terentio fabulam praedicari novam in prologo, " cum illo tempore domini gregis veteres fabulas pro novis agere nondum conati essent. „ Neque enim solum quae iam acta esset sed ne ea quidem fabula nova dici poterat quae aut partes a veteribus poetis tractatas ideoque etiam actitatas contineret ut puta Eunuchus aut cuius pars iam spectata fuisset ut post secundam actionem Hecyra: quod enim expetit Ambivius in prol. II exitu, sibi " ut discere nouas expediat posthac „ plane demonstrat eam quam acturus est novam dici non posse — quod quidem si potuisset, maiore etiam conatu quam in primo prologo facere studuisset histrio, graviore antecedente causa. — Nequeo autem animum inducere ut in Ad. prol. 12 " eam nos acturi sumus nouam „ illud " nouam „ obiter dictum censeam, quae Dziatzkonis est opinio p. 9. Quid enim? num hoc capital erat ut fabulam actum iri prologus significaret? — Cum igitur tot essent causae cur fabulae non omnino novae possent vocari, quid mirum quod Ter. numquam omiserit hoc etiam nomine ubi licuit fabulas suas commendare?

monium de Caeciliana Andria prologo hactenus confirmari, quatenus Terentius nulla addita causa hanc unam fabulam novam non dixit. Hoc unice verum esse contendo: nam etiamsi concedamus prologum ad iteratam fabulae actionem pertinere, eodem ratione et disputatione adducimur. [1] Favet nostrae opinioni prologi exitus:

" adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom:
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint uobis prius, „

---

[1] Etenim quae duplicis prologi suspicionem praecipue moverunt duo sunt: alterum quod in prol. v. 5 haec de se dicat Terentius " in prologis scribundis operam abutitur q. s., „ alterum quod adversarii fabulam nosse videantur ante quam acta esset. Si quis igitur primus extitit prologus, in eo se ipse contra Luscium defendit poeta: at in nova fabula eaque nondum cognita, quid habere potuit Luscius quod reprehenderet, quando de duarum fabularum confusione in altero prologo primum disputaturus erat? Contra naturali ratione omnia explicarentur, si fabula non nova sed de eodem sublata exemplari censeretur quo usus Caecilius esset, idque e titulo cum appareret a Luscio continuo reprehensum putaretur. — Sed de duplici prologo cogitandum esse nego. Iam etiam Guil. Wagner qui, praeeuntibus T. Fabro in Ter. edit. a. 1671, Osanno " anal. crit. „ p. 144, Gepperto " Iahns Iahrb. supplmtb XVIII „ p. 579, et Klotzio probante " And. Lips. 1865, „ de gemino prologo cogitarat " Lib. misc. soc. phil. Bonn. 1864 „ p. 72 sqq., sententiam suam immutavit " Burs. Iahresber. bd. III „ p. 808, Dziatzkone suadente mus. rhen. XX 579 sqq. Alia de hac re scripta laudat Dziatzko Phorm.[2] *einleit.* p. 12[1]. Attamen et Ribbeckium " Gesch. d. röm. dicht. I „ p. 135, 159, et Spengelium And.[2] *einleit.* p. X-XI etiamnum dubitantes video. At quod fabula ante actionem adversariis Terenti innotuerit, mirum non esse docet Adelphorum exemplum, quae quidem ante primam actionem in universum nota iam erat (cf. prol. v. 1-3 et 12). Quod autem ad verba attinet " in prologis scribundis q. s. „ (v. 5), Benfeius et Brug-

ubi ad illud " de integro „ adnotat Donatus " utrum *denuo* an *ex integris graecis?* „ At quo minus " denuo „ intellegamus prohibet illud " posthac, „ quod idem valet: nihil igitur dubii quin " de integro „ significet " de re nondum tacta, „ quod nos dicimus " di sana pianta. [1] „ Sed quid est quod Terentius se posthac fabulas de intactis graecis facturum promittit, nisi eum in hac prima confessum esse statuamus se rem iam antea ab aliis elaboratam adhibuisse? Neque id mirum in poeta paene adulescentulo qui sese " repente „ ad studium adplicaverit musicum, si prima in re scaenica vestigia imprimens veteris exercitatique comici exemplum prae se habere, quam viribus suis totum se credere maluit. Restat vero ad explicandum cur Luscius non incusaverit Terentium, si nullus prior extitit prologus. Atque eo tandem revecti unde digressa est oratio, rogamus quonam modo furtum Caecilio factum suadere poterat Luscius in ea fabula quam Caecilius ipse non modo probavisset sed etiam " non sine magna admiratione „ audivisset? Diversa res est in Eunucho et Adelphis, in quibus demortuorum poetarum vindicem se Luscius praebuit. Non de furto igitur sed ad summum de Caecilii auxilio vel coni-

---

mannus (N. Iahrb. CXIII a. 1886 p. 417) provocarunt ad And. 891 et Hec. 212 et scholia ibid.: non satis apte, opinor; neque enim " prologus „ ut " liberi „ nomen est defectivum. At potius in promptu est And. 910 (" adulescentulos „), Plaut. Menaechm. v. 804 (" pallas „ pro " pallam „: sic etiam v. 734 Vahlen.) et v. 797 (" uiros „ pro " uirum „).

[1] Re ipsa igitur haec interpretatio a Donatiana non differt " ex integris graecis. „ Quid vero sit " integra graeca fabula „ fusius infra docebimus, cum de Heauton timorumeno disserendum erit.

ventia verbum esse poterat. Et huius rei quidem vestigium ni fallor in Heaut. prol. v. 22-24 deprehendere est, ubi

“ maliuolus uetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua. „

Quod enim hic generatim amicos nominet poeta quos postea homines nobiles summaque ap. populum gratia florentes proprie nominaturus est, huic favet suspicioni: nihil enim poetae antiquius profecto fuisset quam ut statim in prima quam scripsit fabula se a nobilibus tantum hominibus optimeque de re publica meritis adiutum esse fateretur, quo maiorem apud spectatores gratiam sibi conciliaret.[1]

II. De Andriae exemplaribus haec prae se fert Donatus ad prol. v. 3: “ prima scaena Perinthiae

---

[1] Quod Caecilium nec Suetonius nec quisquam alius de hac re in suspicionem vocaverit, non est mirum. Nam quo anno Adelphorum prologus qui accusationem latius explicat exaratus fuit, sc. a. 594 u. c. Caecilius iam e vita cesserat, siquidem in Hecyrae prol. II eodem anno tertium relatae Caecilium nominat Ambivius in scaena, non facturus si etiamtum poeta viveret (cf. Becker. De Romanor. cens. scaen. Magunt. 1853 p. 13 sq., Liebig. De prol. Ter. et Plaut. Bonnae 1863 p. 6). Non poterat igitur Caecilius dici “ adsidue una „ cum Ter. “ scribere. „ At in Heaut. prol. non de adsidua opera sed de initio scribendarum fabularum agebatur (“ repente ad studium q. s. „): id quod suspicionem de Caecilio non excludit. Quae si recta est fatorum consortem habuit poeta C. illum Fannium C. filium, cuius orationem de sociis et nomine latino “ alii a C. Persio *litterato homine* scriptam esse aiebant, illo quem significat valde doctum esse Lucilius: alii multos *nobiles*, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. „ Cic. Brut. XXVI 99.

paene iisdem uerbis quibus Andria scripta est: cetera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad uersus XI, altero ad XXI, qui in utraque fabula positi sunt,[1] „ et ad v. 13: " quae apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Graecam,[2] fatetur transtulisse. sed quare ergo se onerat Terentius, cum possit uideri de una transtulisse? sic soluitur: quia conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur ut apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri solus senex est. „ Graecae igitur Andriae scaena prima soliloquium senis fuit, prima Perinthiae colloquium senis cum uxore: quae quidem scaenae cum iisdem paene verbis eodemque sensu scriptae essent, maluit poeta colloquium senis et uxoris quod erat in Perinthia sibi adsciscere, liberto pro uxore posito, quam de una Andria transferre: quod quidem cum a se factum conscius esset, id omnes etiam spectatores voluit rescire. Donato iudice potuit igitur Terentius, modo voluisset, de una transtulisse videri. Haec cum dicit scholiasta ad spectatores profecto respicit; nam Luscius quid Ter. fecisset probe iam noverat et reprehenderat. Spectatores vero, etiamsi duae illae scaenae graecarum fabularum non " paene iisdem uerbis „ sed etiam admodum diversis exaratae essent, vix dignoscere

[1] Aliud exemplum sui ipsius excribendi praebet Eupolis in Nannio et Pannychide (CGF IV 237 et 246). Ex recentioribus adfert Spengelius exemplum Molierii in fabulis " Le malade imaginaire II 4 „ et " Les fourberies de Scapin I 6. „

[2] Fortasse quia verba matronae accommodavit Terentius ad liberti personam a se ipso inventam.

potuerunt Terentianam fabulam e duabus graecis conflatam esse. Quis est enim, quaeso, qui Romanos spectatores adeo graecis litteris imbutos fuisse dicat, ut una scaena semel audita statim monstrare possent de quanam graeca sublata ea esset? At quoniam illud " paene iisdem uerbis „ magnam utriusque graecae scaenae similitudinem testari videtur, non ita facile expeditur quid sit quod Luscius continuo viderit exordium Terentianae fabulae non ab Andria sed a Perinthia repetendum esse, cum praesertim ne hoc quidem ad verbum Terentius expresserit, quandoquidem in prioribus viginti versibus quae dicit vel audit Sosia nullo pacto uxori conveniunt unique Terentio sine dubio debentur. Hoc Braunus expedire conatus sic de Donati verbis iudicavit: " verba *ita, ut* non tam *cum uxore* et *cum liberto* opponunt, quam in utraque fabula collocutum, non solum locutum esse (id quod in Andria Menandri facit) senem efficiunt (p. 8). „ Sed itane credibile scaenam Terentianam Donato visam esse de Perinthia " translatam „ propterea solum quod in utraque duae colloquerentur personae? Quodsi, ut Donatus censere videtur,[1] hoc tantum a Luscio vituperatum fuit, putemusne Terentium tam ineptam incusationem non risurum fuisse? Nec veri similis ergo nec cum totius scholii tenore congruens est Brauni coniectura. Commode sane Ihnius totum schol. ad v. 13 ut spurium proscribit p. 11 sqq. At mihi non videtur de sensu illius omnino desperandum. *Soliloquium* gr. Andriae brevius Perinthiae *colloquio* fuisse cum per se

---

[1] Elucet hoc e verbis: " quare ergo — translatam. „

quisque facile intellegit tum eo probatur quod non veri simile sit Terentium ab archetypo recessurum fuisse, cum praesertim in utraque utriusque fabulae scaena verba paene eadem invenirentur, nisi ei liceret suam augere et locupletare.[1] Verba igitur Donati ea ratione intellegenda esse arbitror, ut non tota gr. Andriae scaena prima paene iisdem verbis quibus tota prima Perinthiae scripta esse dicatur,[2] sed haec nonnulla etiam habuerit quae Andriae soliloquio deessent: quae vero Perinthia et Andria communia haberent ea paene iisdem verbis exarata fuerint. Sed videamus an haec omnia fabulae inspectio confirmet. In prioribus versibus 1-19 senex fidem et taciturnitatem liberti sibi expostulat, cui consilia sua commissurus est: haec in neutra graeca fuisse apertum est,[3] quamquam in Perinthiae colloquio senex uxori nonnulla praefatus esse ut huius sibi taciturnitatem

---

[1] Euanth. de trag. et com. 15, 11 (ed. Klotz.): “ Illud etiam inter cetera eius (*Terenti*) laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. „

[2] Nec sane abhorrent Don. verba ab hoc sensu : etenim non *primam* gr. Andriae scaenam cum prima Perinthiae congruere adfirmat scholiasta, sed *Andriam*. Arbitratu suo “ Andriae „ pro “ Andria „ l. l. reposuit Ihnius p. 8. Ambigue universeque locutus esse videtur Don., quia conscius erat non *totam* primam Andriae scaenam toti scaenae primae Per., sed aliqua tantum in ea scaena respondere, sicut etiam aliis Perinthiae partibus alias Andriae respondisse subinde adfirmat sine loci demonstratione.

[3] Etsi ad normam graeci sermonis Graecorumque vitae conficta videntur. Cf. v. 10 et Aristot. elench. sophist. 4, 7: ἐγώ σ'ἔθηκα δοῦλον ὄντ'ἐλεύθερον, v. 11 et CGF IV 293 ἐλευθέρως δούλευε, δοῦλος οὐκ ἔσει. Cf. etiam v. 16-17 et Demosth. de cor. § 269: τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ὑπομιμνήσκειν καὶ λέγειν μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν.

astringeret putari potest. Quae porro v. 20-41 generatim de filii ingenio praedicat senex moderationem v. 20-34 et obsequium in amicos 35-41 laudans, non omnia de graeco fonte fluxisse videntur. Quae de moderatione filii narrantur, cum graecam vitam apertissime resipiant, in alterutra Menandrea aut etiam in utraque inveniri potuerunt, quippe quae et colloquio et soliloquio aeque conveniant — nam paucula quae Sosia interponit etiam a Simone solo pronuntiari poterant; — quae vero pone insecuntur, v. 35-41, non mihi videntur a Menandro repetenda. Ea quidem gr. Andriae defuisse non est quod multis demonstrem: nam Charini gratia praestructa esse facile perspicitur, siquidem Charinus non erat amicum Pamphilum ea rogaturus quae in act. II scaena altera audet, nisi obsequens adulescentis ingenium probe nosset.[1] At Charini amorem a gr. Andria alienum fuisse deinceps videbimus. Hunc autem etiam Perinthiae defuisse et aliorum et nostra est sententia. Certe, quae seni respondet Sosia v. 40-41 matronae orationi absona erant: contra serviliter iam inde a puero educatus homo (v. 8, cf. v. 3[2]) ἠθικῶς fingitur liberale obsequium et adsentationem ridicule consociare. At insequentes versus 42-127 e sola Perinthia accessisse pro certo habeo. Haec enim pars cum e tota scaena sic eminet ut hac una dissensisse Andria et Perinthia iure dicantur, tum sic ad singula descendit ut a so-

---

[1] Ne Donatum quidem hoc effugit sic adnotantem ad I 1, 37: “ Talem esse Pamphilum adiuuat argumentum fabulae simul et Charinum. „

[2] Cf. Cic. de or. II 327.

liloquio penitus abhorrere videatur.[1] Funeris narratio eo spectat in Ter. Andria ut senex in sua erga filium fiducia se falsum esse necopinato sentiat. Atque his Harpocrationis verbis perpensis p. 160: προστάτης. οἱ τῶν μετοίκων 'Αθήνησι προεστηκότες προστάται ἐκαλοῦντο —μέμνηται καὶ Μένανδρος ἐν ἀρχῇ τῆς Περινθίας, haud forsan a vero longe aberres, si in Perinthia senem uxori narrasse conicias eousque se fiduciae processisse ut filio hortante in tutelam suam se recepturum peregrinam Glycerium (μέτοικον) promitteret huiusque ideo patronum (προστάτην) futurum. Quod vero Ihnius obicit nullo modo potuisse matrem ea filii facta ignorare quae Simo cum liberto communicat, haud magni feceris, si reputaveris senem facta filii narrare iam ephebiam egressi, i. e. cum propter et liberius vivendi potestatem et publica insuper officia huiusce aetatis propria paullisper tantum domi degeret: huc accedit mulierum atticarum vita segregata domique coercita et senis parum explorabile ingenium ac simulationis plenum. Ceterum Sosiae verba v. 46, 78-79, 89, 100 a matris ingenio de filio audientis aliena non sunt. Summa porro orationis senis versibus 128-144 inclusae in utraque graeca profecto fuit et eisdem paene verbis exarata: cum enim simile utriusque esset argumentum, debuit in utraque ratio significari, qua

---

[1] Nescio an Perinthiae vestigia haec sint: Don. ad I 1, 28 " quod plerique omnes: — eodem modo Graeci πάμπολλα, „ ad I 1, 93 " Ellipsis Terentiana, nam non necesse est subiungere duos uersus. „ An duo versus subiungebantur in graeca? — Umpfenbachius " analect. Ter. „ Magunt. 1874 cogitat de duobus additiciis versibus quos Donatus removerit.

senex filium explorare instituisset. At quoniam quae hic loquitur senex superiora commode apteque excipiunt, quae in gr. Andria defuisse aut non ita graphice narrata fuisse defendimus, videndum nunc est quonam modo in Andria gr. senex post ea quae de moderata sapientique vivendi ratione a filio inita tetigit v. 29-34 ad consilium adsimulandarum nuptiarum transierit. Qua in re commode accidit ut fragmentum gr. Andriae ap. Stob. flor. LXIV 15 servatum adferre liceat:

τὸ δ' ἐρᾶν ἐπισκοτεῖ
ἅπασιν, ὡς ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγως
καὶ τοῖσιν ἀκολάστως ἔχουσιν. [1]

Nempe etiam eis qui ut Pamphilus sapienter vitam instituerunt amor offundit nebulas: res ipsa indicat (ὡς ἔοικε). At " si propter amorem uxorem nolet ducere „ q. s. v. 128 sqq. — In universum aestimanti, quae singillatim de funere Chrysidis, de Glycerii amore, de sponsione Chremetis filiae in hac scaena senex edisserit, eius modi videntur esse ut aut prorsus omitti (ex. g. funeris narratio) aut paucis absolvi aut suo quidque loco obiter ab aliis personis tangi potuerint: nam Glycerii amor et Philumenae sponsio etiam ceteris nota erant. Quibus omnibus confirmatur sententia, quam supra exposuimus, nonnullos gr. Andriae

---

[1] CGF IV 81 fr. I. τοῖσιν ἀκολάστως ipse tentavi pro τοῖς καλῶς, quod mss. praebent. Clericus κακῶς, Meinekius ἀλόγως Men. 19, at in Stob. edit. τοῖς εὖ λόγων καὶ τοῖς κακῶς. Temere Grauertus ad I 3, 12 et Dziatzko mus. rhen. XXXI 241 ad III 3 Ter. fab. fragm. rettulerunt.

locos cum prima Perinthiae scaena, non totas primas utriusque fabulae scaenas paene ad verbum consensisse. Nunc vero quaeritur cur personam colloquentem mutaverit Terentius, eaque num in Perinthia adventicia persona (προτατικὸν πρόσωπον) fuerit ut ap. Ter. Sosia est. " Der grund der personenänderung „ inquit Kampius l. s. s. p. 7 " von seiten des Terenz scheint uns darin zu liegen, dass der römische dichter sogar den Sosia, also das πρόσ. προτατικόν in beziehung zur handlung setzen wollte dadurch, dass T. ihn als aufpasser über Davus und Pamphilus von Simo bestellen lässt (v. 171 ff.), ein auftrag, zu dem eine frau, besonders eine mutter, wohl nicht so leicht brauchbar erschienen wäre. „ Quod v. d. monet studuisse Terentium personam protaticam argumento fabulae immiscere, rem acu tetigisse mihi videtur — idque poetam fecisse arbitror ne videretur supervacanea persona fabulam suam onerasse; — quod vero personarum mutationem inde repetit, non aeque mihi probatur; sed in diversis Graecorum Romanorumque moribus mutationis causam quaerendam esse duco. Quod enim supra docuimus futurum fuisse ut graecis spectatoribus non absurdum videretur matrem filii facta ignorare, hoc absurdum sane fuit sec. romanos mores, quos ea re Terentius saepe — nec deerit adnotandi occasio — palliatae fabulae admiscuit, ne spectatorem romanum peregrinis moribus offenderet. Cf. Don. ad Phorm. I 2, 41. Sosiae autem persona rationi consilioque poetae mirifice inservivit: quamvis enim iam inde a parvulo in domo Simonis educatus, nihil mirum tamen, cum ut coquus non frequens cum erili filio commercium

haberet, quod huius facta moresque plane ignorare fingatur. At quod etiam libertus fingitur, nescio utrum uni Terentio hoc debeatur qui servos in palliata fabula erilium filiorum adiutores fere esse senserit an Perinthiae exemplo quae alicubi etiam praeter scaenam primam libertos exhibuerit vel commemoraverit: nam Perinthiae fr. VIII (CGF IV 189) ἀνέξφαπτα σώματα, i. e. servitia libertate donata (Boeckh. CIG 1704) prae se fert. Utut est, in Sosiae persona feliciter ausus tibi videbitur Terentius si singula spectes;[1] at si requiras quo tandem vinculo cum reliqua fabula haec persona coniungatur, adsentiendum erit Spengelio recte adnotanti (“ Die composition d. A. „ p. 606-607) quas partes Simo liberto demandat I 1, 141 sqq. eas non a liberto sed a Simone ipso postea suscipi I 2, II 4, neque ex ullo fabulae loco apparere num post scaenam libertus domini mandata executus sit. Unde cum apertissime perspiciatur Terenti studium cupientis hanc personam argumento implicare, suspicio oboritur matrem Pamphili non fuisse in Perinthia adventiciam personam. Cur enim Ter. id studuisset vitare quod ad Menandri exemplum impune facere ei licuisset, si etiam in Perinthia senis uxor protatica fuisset persona? Et quidem quis dixerit uxorem Simonis matremque Pamphili tamquam protaticam personam adhibitam fuisse?

---

[1] Cic. l. l. “ mores adulescentis ipsius et seruilis percontatio, mors Chrysidis, uultus et forma et lamentatio sororis, reliqua peruarie iucundeque narrantur. „ Cf. Roos. “ Ueber d. charakter d. Sosia d. T., Giessen, 1784. „

III. Prologos Terentianos summo studio summaque diligentia exquirendos esse, si quis de Ter. fontibus disserere instituerit, nemo est quin sciat. Sed ut nonnumquam prologis utendum est ad Donati minus accuratas adnotationes emendandas, sic et huius scholiis diligenter expensis nova ac mirifica luce prologi saepe illustrantur. At prologus Andriae cum doceat poetam " quae conuenere „ in Andriam ex Perinthia transtulisse, Grauertus de integris etiam praeter primam scaenis a Perinthia sublatis cogitavit, plerique autem in Charini et Byrriae personis illa " quae conuenere „ sibi visi sunt agnoscere,[1] quamvis perspicuo moneat Donatus non negavisse Terentium primam scaenam de Perinthia esse translatam idque eum fecisse quod de ea re conscius esset. Aut igitur Donati testimonium prorsus repudiandum est aut sola prima scaena existimanda de Perinthia translata. Cum vero Donati scholium nullum prae se ferre spuriae auctoritatis indicium mihi videatur,[2] Spengelio plane adsentior sic aestimanti (And.[2] 1888 p. XIII): " Wahrscheinlich hat T. ausser iener ersten scene des ersten aktes überhaupt nichts oder nur unbedeutendes der Περινθία entnommen, wie er auch in den Adelphoe nur die eine scene, die erste des zweiten aktes, aus den Συναποθνήσκοντες des Diphilus einschob. „ Quodsi quis roget cur non in prologo poeta, ut in Adelphis postea fecit, hanc unam scaenam de Perinthia ma-

---

[1] Koepkius, Ihnius, Braunus, Teuffelius, Dziatzko, Regelius, Kampius.

[2] Aliter Ihnius l. s. s. p. 11.

nasse aperte fateatur, tum vero huc quadrat quod paullo supra monuimus prologi verbis utendum esse ad Donati verba emendanda: non enim, ut Don. ait, totam scaenam sed ex hac quae convenere in rem suam convertit poeta — id quod re ipsa factum a Terentio vidimus: — contra e Diphili Synapothnescusin totum integrumque episodium idque ad verbum expressum extulit. At Perinthiae scaenam — triginta vel pluribus versibus novis inductis, colloquente persona mutata, nonnullis etiam de Andria sublatis — adeo diversam Ter. praebuit ut e Perinthia depromptam esse vix quisquam agnosceret et iure Donatus adnotaret " quia conscius sibi est q. s. „ quasi Terenti secretum hoc esset. [1] Itaque si partem de Per. sublatam intra hos fines cohibemus, et prologus et scholium naturali ratione explicantur, neque censere opus est alias quoque partes de P. in A. migrasse. At quoniam Charini et Byrriae personae de Perinthia sublatae plerumque habentur, [2] age videamus quibus haec opinio fulciatur argumentis. Haec tria plerumque adferuntur: primum quod de ea re tacuerit Luscius. tum quod veri simile non sit Terentium in prima quam scripsit fabula et in ea quidem sola [3] ausum

---

[1] Iniuria ridet haec verba Ihnius quasi intellectu careant.

[2] In contrariam partem primus disputavit Grauertus. Duebnerus N. Iahrb. X a. 1834 p. 32 scripsit primum credidisse se eas personas Perinthiae deberi, postea vero Grauerti victum argumentis mutavisse sententiam. Ad Grauertum accessit etiam Spengelius (" Die composition d. A. „ l. s. s. p. 608 sqq. et nuper in And.[2] Berol. 1888 p. XIII). Ceteri Charinum et Byrriam Perinthiae attribuunt.

[3] Sic Ihnius et Teuffelius, qui vel in reliquis fabulis Terentum quidquam de suo dedisse negant.

esse commenta sua Menandreis inserere, deinde quod tres versus in ea scaena positos ubi Charinus interloquitur cum totidem Menandri Euripidisque, cuius Menander acerrimus fuit sectator, componere liceat.[1] Lusci silentio equidem non haereo cum ob ea quae supra disputavi p. 5, tum quod etiamsi Luscius de additamentis Terentianis locutus esset, vitavisset profecto poeta hoc ulcus tangere in prologo, cum probe sciret graecis tantum gaudere spectatores minusque propterea laudis existimaret, Donato teste in Ad. praef., " propria scribere quam Graeca transferre. „ Nimia quae profertur Terenti audacia vagum admodum argumentum est: etenim non minore quispiam iure dixerit Terentium iuvenili quadam audacia abreptum id ausum esse quod aetate provectior inque re scaenica exercitatior non fuisset facturus, cum praesertim longe absit, quod ad artem spectat, ut personae illae omnibus absolutae numeris merito habeantur.[2] Sed quid, si Donatus ipse iudicavit nimia Terentium usum esse audacia?[3] Restat ut de tribus graecis versibus disseramus, quorum duo Euripidei sunt. At de his non est quod multis morer: alter enim proverbii instar est, cuius similia multa hodieque feruntur,[4] alter satis tritam habet senten-

---

[1] V. Teuffel. " Studien u. charakt. „ p. 280.

[2] Etiam Regelius l. s. s. p. 5 concedit Spengelio l. s. s. p. 610 Charini personam praesertim ex quarti actus altera inde scaena iacere et languescere.

[3] Ad V 6, 13: " — et *audacter* et *artificiosissime* binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est *(Ter.)* q. s. „

[4] Med. 86 ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ et

tiam:[1] ut etiamsi loci Menandrei extarent utrique versui respondentes vix necessario ex Euripide repetiti putarentur. Multo gravius esset Perinthiae fragm. ab Athenaeo servatum VII 301 b: ἐψητοί· ἐπὶ τῶν λεπτῶν ἰχθυδίων. Μένανδρος Περινθίᾳ·

τὸ παιδίον δ'εἰσῆλθεν ἐψητοὺς φέρον,

cll. And. II 2, 31-32:

" — etiam puerum inde abiens conueni Chremi;
Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni, „

nisi locum Terentianum ex alterutro graeco derivatum esse Spengelius l. s. s. p. 614 et And.[2] l. l. recte monuisset, quem Donatus ad prol. v. 3 in utraque graeca similem fuisse docet. Neque hoc absurdum esse eo probatur quod cuiusdam servi fallacis persona qualis Davus est et adsimulatio senis detecta unde fragm. pendet in utraque graeca profecto fuerunt; namque his rebus plane nititur argumentum fabulae, quod in utraque adeo simile fuit ut qui utramvis recte nosset ambas nosse existimaretur. Praeterea autem Donatus qui numquam quo quaeque loco persona vel scaena aliunde accesserit omittit adnotare, qui potuit hoc loco nullam Perinthiae mentionem fa-

---

Ter. And. II 5, 16. Cf. Men. gn. mon. 528, Eurip. Cresph. (Nauck. TGF v. 460, p. 397), Hegias ap. Suid. I 778, 6, B., Cic. de off. III 5, 22.

[1] Hipp. 1297 καίτοι προκόψω γ'οὐδέν, ἀλγυνῶ δέ σε et Ter. And. IV 1, 16.

cere, immo de illis personis eo modo loqui ut Terentio vindicare videretur? nam ad II 1, 1 haec adnotat: " Has personas Terentius addidit fabulae — nam non sunt apud Menandrum — ne ἀπίθανον fieret *si* Philumenam spretam relinquere*t scilicet* sine sponso, Pamphilo aliam ducente „ [1] et ad V 6, 13 de binis nuptiis sic loquitur: " — et id extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat: idcirco aliud in proscaenio, aliud post scaenam rettulit, nẹ uel iusto longior fieret uel in eandem (*corr.* eadem) propter rerum similitudinem cogerentur (*corr.* cogeretur).[2] „ Nescius equidem non sum Donatum ubi Menandrum memorat Andriam Menandri significare solitum, cuius summam in Terentianam manasse prologus testatur; verum enim vero si quis contendat, quod graecae Andriae illae personae defuerint, eas in Perinthia necessario fuisse, haud sane melius ratiocinari videatur

---

[1] Dedi ex cod. Paris., qui posteriora sic habet deformata: " — ΝΕΟΠΙΘΕΑΤΟΝ fieret Philumenam spretam relinquere sancti sine sponso Pamphilo aliam ducente. „ Duebnerus N. Iahrb. X a. 1834 p. 32 coniecit ἀποθέατον, quod h. l. sensu caret. Scholiis collatis ad And. II 6, 16, Hec. I 2, 63, Eun. II 3, 5 et 68, Ad. IV 5, 20, ἀπίθανον temptavi, quia mihi videtur Donatus in ἀντιθέτῳ ludere *Philumenam—spretam*. Cf. Ter. And. v. 306. Lectionem τραγικώτερον (vulgo et ms. Hulst.) nec ratio nec librorum auctoritas commendant.

[2] Post " fieret „ Braunus l. s. s. p. 13 inseruit " fabula „ (occupatum hoc a Ritschelio Par. 599) et " nuptiae „ post " similitudinem. „ Ritschelius autem ex sua et Schopeni coniectura post " eandem „ adiecit " καταστροφὴν bini amores „ quae scita est emendatio, necessariam tamen non dixerim cum utriusque verbi subiectum esse possit " Terentius. „ Qui quoniam Menandro opponitur, hinc efficeretur, si bini adulescentium amores etiam in Perinthia fuissent, Menandrum hanc comoediam supervacaneis scaenis interque se similibus onerasse.

quam Charinus II 2, 3 a Davo inrisus.[1] Contra ex eo quod non dicat Donatus utrum de Perinthia sublatae an proprie Terentianae sint iure mihi videor colligere Terentianas esse, quandoquidem suo loco praemonuerat Donatus quatenus Perinthiae imitatio pertineret, sc. non ultra scaenam primam. Itaque nunc satis habet dicere " has personas T. addidit fabulae „ minime dubitans quin de suo Terentius addidisse statim intellegatur. Tum autem, cur non totam Perinthiam transtulit Terentius in qua nihil desideraretur? Hoc Ihnius ita expedit ut dissimilis Andriae oratio et stilus poetae magis placuerit. Sed si propter aliquot tantum sententias figurasque orationis[2] Ἀνδρία placuisset, Περινθία vero propter argumentum, quis est quin sentiat Terentium hanc non illam translaturum fuisse, ea vero condicione ut quae maiore in Ἀνδρίᾳ locutionis luce niterent sibi adscisceret? At contrarium fecit poeta: nam quae convenerunt in A. ex P. non ex P. in A. transtulit. Conspirat cum eis quae disputavimus Terentianus prologus, unde Ἀνδρίαν et Περινθίαν tales fuisse discimus ut qui utramvis recte nosset ambas nosset. Quid? novissetne etiam Charini amorem i. e. alteram fabulae partem (sic Don. ad II 1, 1

---

[1] Attamen Braunus l. s. s. p. 12 haec ait: " id — ea *(Donati verba)* valere puto, ut sit: has personas ex Perinthia Terentius addidit fabulae „ et paullo post: " atque quid sibi velint quae sequuntur *nam non sunt apud Men.* (i. e. in And. Men.), nisi oppositum putes esse eas in Perinthia? „

[2] Quae quidem in versione evanescunt, nedum in paullo solutiore translatione. Quint. X 5, 3: " figuras uero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac uarias excogitandi etiam necessitas quaedam est, quia plerumque a Graecis Romanae dissentiunt. „

" in hoc altera pars ostenditur fabulae „ de Char. amore dum loquitur), graeca Andria sola perlecta, in qua pars illa non erat? Qui potuit denique poeta dicere ambas non ita dissimili argumento esse, si duplex in una, in altera simplex fuisset argumentum?

IV. Nunc e Terentiana fabula et fragmentis graecis argumentum Ἀνδρίας quatenus datum est persequamur.

Quae senex solus in prima fabula locutus dicitur, eo spectarunt ut Pamphili ingenium et simulandi cognosceretur consilium quod ipse cepisset senex ut filii mentem exploraret. Cuius soliloquii reliquiae fortasse sunt priora insequentis scaenae verba: nam et hanc ex graeca fluxisse demonstrat schol. ad. v. 33: "*Non te ignoro, non me decipis.* Sic Menander: νῦν δ' οὐ λέληθας μὴν ἐμέ, „ et dubitandum non est quin si ex Perinthia fuisset, Davus ex Simonis uxore non e Simone ipso v. 173 huius consilia comperisset. Partu Glycerii adproperante, quem praeparaverat Davus v. 216, 219, Mysis obstetricem arcessitum festinat I 4. Hanc brevem scaenam recte gr. Andriae Ihnius vindicavit, quam Perinthiae male tribuerat Grauertus fragmento V adductus. Qui quidem quod nullum Ἀνδρίας fragmentum extet ad hanc et insequentem scaenam referendum, utramque e Perinthia repetitam esse defendit. Sed ut mittam quae supra disputavi, et Pamphili trepidatio in scaena apparere debuit et ad insequentem quintam scaenam i. e. ad Mysidis Pamphilique colloquium respicit postea Mysis in act. III scaena prima v. 4, quam ex Andria derivatam esse docet schol. ad v. 473. Omissa act. II sc. prima quae mere

Terentiana est et propter Charini amorem conficta, in duabus quae insecuntur senis simulationem detegit Davus et exanimatum Pamphilum ad spem reducit, viam insuper ostendens qua patris frustret insidias. Hae duae scaenae artissime cum insequenti cohaerent, quam Menandream esse ostendit schol. ad v. 3: " Menander Εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν | οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες „ fr. IV M.: nam eo tantum in hac prodit senex v. 4 ut comperiat quid Davus et Pamphilus consilii ceperint — id quod in duabus superioribus scaenis ipsi fecerant.[1] Scaenam quintam, exceptis paucis Byrriae, in 'Ανδρίᾳ fuisse vix oportet admonere, cum e tertia pendeat, quae Menandrea est siquidem ex Davi consilio II 3, 9 sqq. Pamphilus cum patre agere incipit II 5 sqq. Actum tertium e gr. Andria totum accessisse perpetuo fragmentorum testimonio comprobatur. In prima scaena comperit Simo Pamphilum suscepturum esse natum — quod iam Davus praenuntiarat v. 219 — simulque gemitum et ploratum audit Glycerii in puerperio enitentis; sed de fallacia quadam Davi cogitat. — Ad huius sc. v. 15 " Iuno Lucina q. s. „ sic Don.: " Obstetriciam hanc potestatem[2] Iunoni attribuit Terentius, quamquam

---

[1] Quam ob rem videant quam falsi sint qui priorem earum (II 2) propter fragm. Per. VI e Perinthia desumptam esse censeant. Quod si ita esset, non magis Charinus et Byrria, de quibus solis loquitur Don., quam Davus et Pamphilus de Perinthia accessissent: nam paucula tantum verba in hac scaena interponit Charinus.

[2] Sic Duebnerus et Meinekius IV p. 82, monente Schopenio. Mss. " hoc extra etiam hanc potestatem — adtribuitur „ (cod. Paris. " adtribuuntur „). De invocatione cf. Ad. 487 et schol., Plaut. Aul. 692. Cic. nat. deor. 2, 27: " ut apud Graecos Dianam eam-

illam Menander Dianam appellat. „ Cf. Eugraph. ad h. l. — Etiam in altera scaena de Glycerii partu agitur, in quo tamen senex nihil etiam suspicatur mali. — Ad Lesbiam obstetricem v. 483 rettulit Don. Men. fr. λούσατε αὐτὴν αὐτίκα.[1] Huc etiam pertinere Grauertus vidit aliud fr. ap. Phot. et Suid.: νεοττός · ἡ τοῦ ᾠοῦ λέκιθος καὶ τὸ πυῤῥόν. Μένανδρος Ἀνδρίᾳ·

Καὶ τεττάρων ᾠῶν μετὰ τοῦτο, φιλτάτη,
τὸ νεόττιον (fr. II M.)[2]

Interea Simo in errore suo perseverans Chremetem precibus oppugnat ut matrimonio adsentiatur. Chremes diu reluctatus tandem consensum dat. — Haec Chremetis verba ex graeca rettulit Don. ad v. 543: μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου. — Itaque Davus eadem ipse

---

que luciferam, sic apud nos Junonem Lucinam in pariundo inuocant. „ Dianae cultus parturientium adiutricis ap. doctos tantum Romanos scriptores invenitur (Verg. ecl. IV 10, Hor. c. saec. 13), postquam Diana et Ἄρτεμις in unum confusae fuerunt: neque hic cultus umquam in vulgi consuetudinem abisse videtur. Terentius igitur ad intellectum descendens vulgi pro Diana Jun. Luc. posuit, quae iam inde a priscis Urbis temporibus tamquam fecunditatis numen coli et a parturientibus invocari solita esset (Ov. fast. II 425 sqq., III 247 sqq.). — Quae vero monet Theocr. schol. II 66 (ap. Meinek.): καὶ παρὰ Μενάνδρῳ αἱ κυΐσκουσαι ἐπικαλοῦνται τὴν Ἄρτεμιν ἀξιοῦσθαι συγγνώμης ὅτι διεκορήθησαν, ea fortasse non sine fructu compares cum Dante nostro Purg. XX 19 sqq. et Buti ad h. l. “ Le donne che sono al parturire con voce piangulosa gridano: dolce *Virgine* Maria. „

[1] Sic Bentleius ex υτισα. Alii τάχιστα, ὡς τάχιστα, ὅτι τάχιστα. CGF IV 83.

[2] Quibus verbis conservam Archilem rectius quam Glycerium ipsam (Spengel. l. s. s. p. 615) Mysis adlocuta esse putatur.

quam intenderat fallacia captus (ad III 4, 13 Don. adfert Men. verba τί δή ποτ' ἀκούσω;) vehementer a Pamphilo obiurgatur. Davi verbis III 5, 5 respondet Men. fr. ap. Don. ad h. l.: ἐνθένδε σωθεὶς οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ.[1] Erilis filii metu promittit servus se omnia facturum ut nuptias avertat v. 670-685. Post brevem scaenam qua Pamphilus a Glycerio revocatus se iterum Davo committit, novam servus machinatus fallaciam IV 3 ut Chremetem a nuptiis deterreat (huc pertinent Men. verba insigniter depravata ΚΟΛΕΞΙΛC CΥ ΜΥΡΡ·ΥΝΛC | ΧΧΗCΛ·ΙΕΤΕΙΝΕ[2] Don. ad IV 3, 11), cuncta sibi e sententia succedere videt: nam scaenam ingressus senex, ubi puerum vere ex Pamphilo natum esse comperit, ad Simonem festinat cui sponsam filiam iterum abnuat IV 4. Sic etiam in 'Ανδρία rem gestam esse colligitur ex Don. ad v. 795-96: " Paulum inter esse censes, ex animo omnia, Vt fert natura, facias an de industria? „ ubi schol. " Haec sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam

---

[1] Sic Dziatzko ex corruptis cod. Par.: ΛΝΘΕΟCΘΕΤhΟ· | ΚΛΝΛCΙΜΠΠΕ. Malim ἐνθένδ' ἀποσωθεὶς κτλ.

[2] Hoc fragm. plurifariam emendatum est. Bentleius ἀπὸ δεξιᾶς σὺ μυῤῥίνης κλάδους λάβε, Iacobsius ἀφ' ἑστίας σὺ μυῤῥίνας δέχου, | δύστηνε, Meinekius IV 710, (cf. add. corr. V 100): ἀπὸ Λοξία σὺ μυῤῥίνας τασδὶ [λαβὼν] ὑπότεινε (locus vero λαβοῦσα postulat, cll. Ter.), Duebnerus ἀπὸ δ'ἑστίας σὺ μυῤῥίνας | ἐπὶ γῆς διάτεινε, Dzitazko ἀπὸ Λοξία σὺ μυῤῥίναις χρῆσαι, γύναι. Cf. etiam Kock. CAF III 16 sq. — Huc respexit etiam Servius ad Aen. XII 120: " — abusiue uerbenas iam uocamus omnes herbas sacratas, ut est laurus oliua et myrtus. Ter. *ex ara q. s.*: nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Ter. transuertit. „ Unde Koenighoffius effecit Terentium Romani sermonis consuetudini indulsisse. " Verbena „ et " laurus „ promiscue ap. Plaut. Truc. II, 5, 27, Merc. IV 1, 11. — De ara Apollinis cf. Nauck. philol. V 681.

Menander ἐπιδεικτικῶς posuit. „ Nec tamen ad verbum totam scaenam expressit poeta, quia sic ad v. 771 adnotat Don.: “ Testimonia libera contra seruum et hoc proprium Terenti est, nam de Romano iure hoc dixit. „ Interea Davi opera eo progressum est, ut Pamphilus Chremetis filiae nubere nullo pacto queat. Hic igitur desineret fabula, nisi aliquid novi interveniret. At Critonis persona, qui ut nomen indicat nodum solveret fabulae (IV 5), etiam in graeca fuit, Donato adnotante ad IV 5, 6 eum et Chrysidem consobrinorum filios fuisse ap. Men. [1] — Ad IV 5, 10 referri solet Menandreum illud ζῶμεν γὰρ οὐκ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα gn. mon. 50. — Cum ad Simonis maerorem, quod matrimonii consensum obnixe revocet Chremes V 1, accedat Davi notitia ad hunc in consilio suo confirmandum omnemque nuptiarum spem adimendam, ira et dolore permotus senex novamque suspicatus servi fallaciam hunc iubet vinciri V 2 et filium vehementer redarguit. Vix tandem impetrat Pamphilus ut Crito audiatur. Senis orationi quaedam de suo Terentium immiscuisse docet Don. ad v. 891: “ mira grauitate sensus elatus est, nec de Menandro, sed proprium Terenti. „ Critonis et Simonis litem, quam

---

[1] “ Sobrini sunt consobrinorum filii, nam sic dicit Menander. uerum alii putant de sororibus nati. „ Cf. Non. 557, 15. Post “ Menander „ verba graeca excidisse apertum est. Quae quidem, Terentianis comparatis: “ estne hic Crito sobrinus Chrysidis? „ speciminis causa sic restituerim:

ἦ Χρυσίδος ὁδί 'στ' ἐξανεψιὸς Κρίτων;

(V. Men. fr. inc. 406 M., ubi tamen ἀνεψιῶν pro ἀνεψιαδῶν legendum videtur, cf. suppl. add.).

mox etiam in Perinthia reperiemus, in 'Ἀνδρίᾳ certissime fuisse discimus ex Don. ad v. 919: " Menander οὕτως αὐτός ἐστιν. „ Critonis verba denique vera esse agnoscuntur, Davus solvitur, Pamphilo Glycerium — immo Pasiphila v. 945 — permittitur.[1] — Hinc suis Terentius pedibus iam incedere debet; nam altera fabulae pars absolvenda est. At primos versus poeta de Men. Eunucho sumpsit teste Donato ad v. 959: " Hanc sententiam Menandri de Eunucho transtulit q. s. „ et paullo post " est δόγμα 'Επικούρειον quod a ceteris philosophis repudiatur de otio deorum ac perenni uoluptate. „ Quodsi e Perinthia haec scaena derivata esset, quid opus fuit Terentio etiam a tertia fabula haurire? At Ihnius qui nullo modo has postremas scaenas Terentianas esse concedit, obicit talem esse illam sententiam ut non semel in Eun. sed sexcen-

---

[1] De duobus fragmentis ap. Stob. LXIII 20 et LXXIII 45:

— ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον,
— οὐδέποθ' ἑταῖρα τοῦ καλῶς πεφρόντικεν
ἢ τὸ κακόηθες πρόσοδον εἴωθεν ποιεῖν,

quorum alterum ad III 3, 23, alterum ad IV 4, 16 Clericus rettulit, cum Meinekio consentio qui utrumque inter incerta exhibuit (Men. gn. m. 410 et fr. inc. 107). Adscribam denique haec Don. scholia, quae tamen gr. exemplar respiciant non necesse est. Ad I 3, 17 " seruat, φυλάττει, „ ad II 2, 9 " interii, ἀπολούμεθα, ad II 5, 12 " uxore excidit: quod Graeci dicunt ἐξέπεσεν καὶ ἀπέτυχεν, ad III 2, 6 " scitus: elegans puer, pulcher, quem Graeci ὡραῖον dicunt, „ ad III 2, 25 " muttire: quod Graeci φθέγγεσθαι, „ ad III 2, 30 " prorsus: quasi porro uersus, quod Graeci μακράν dicunt, „ ad III 2, 34: " missa est ancilla ilico, αὐτόθεν ἐπέμφθη, „ ad III 4, 9 " sic res est: quod Graeci dicunt οὕτως ἔχει, „ ad III 4, 23 " erilem filium, τὸν τρόφιμον „ (cf. Men. fr. inc. 312 M: et Don. ad Eun. 289, Phorm. 39), ad IV 5, 1 " platea: Graeci πλατεῖαν dixerunt. „

ties alias a Menandro pronuntiari potuerit. Sit sane ea sententia sexcenties alias a Men. pronuntiata, at certe non in Perinthia; quod si fuisset, scholiasta non memorasset Eunuchum. Nec vero difficile est locum Eunuchi monstrare, unde veri simile est sententiam manasse. Nam in Ter. Eun. III 5 Chaerea vitiata Pamphila in scaenam exit exultans gestiensque et aliquem quaerens quicum gaudium suum communicet. Eadem in utraque fabula conditio rerum, [1] quaedam etiam verba consentientia [2] enucleate demonstrant eo Men. Eun. loco sententiam Epicuream rectissime collocatam putari. [3]

Ex altero fabulae exitu, qui in quibusdam paullo recentioribus codicibus habetur, nihil novi excudi potest, quod ad Menandreum exemplar attineat. Nam

---

[1] In And. ad Pamphilum pers. Men. Charinus accedit pers. Ter.; in Eun. ad Chaeram pers. Men., Antipho pers. Ter.

[2] Nemo est enim, quem hae similitudines effugiant: Eun. III 5, 5 " sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi? „ And. V 5, 6 " sed quem ego potissimum optem, quoi nunc haec narrem dari? „ — Eun. ibid. v. 11 " quid est, quod laetus es? „ And. ibid. v. 7 " quid illud gaudist? „ — Eun. ib. v. 13 " nemost quem ego nunciam magis cuperem uidere, quam te, „ And. ib. v. 7 " nemost quem malim omnium. „

[3] Hoc adnotatione dignum est: Epicuream sententiam (de qua v. Diog. Laert. X 31, 139, Cic. de nat. deor. I 30: cf. Diog. L. ibid. 27, 135: — ζήσει δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις) sic Terentius temperavit: " Aliquis me forsitan Putet non putare hoc uerum: at mihi nunc sic esse hoc uerum lubet „ v. 957-58. Haec Menandrea non sunt: nam de Epicurea tantum sententia loquitur Donatus, nec Menander Epicuri apertissime sectator (v. epigr. anth. pal. I 327, Horkl, die Lebensweisheit des Kom. Men. Königsberg 1857, p. 7) hac circuitione usus esset. An censere debemus cavisse Terentium, ne in Epicuri praecepta delapsus videretur. — Ex Aristid. I 592 Dindf. verba Menandrea componere conatus est Kockius CAF 55.

quod Braunus l. s. s. p. 20 censere videtur hunc exitum quamvis non Terentianum ad Perinthiae normam tamen esse perscriptum neque ullo probabili argumento confirmatur neque fit veri simile silentio Donati, cui tamen notus erat. Res incertior etiam facta est, postquam Frid. Schmidtius " Ueb. d. zahl d. schauspiel. b. P. u. T. „ p. 39 communicavit: " Schon bis ietzt waren zwei schlusscenen der Andria bekannt. Herr bibliothekassistent dr. M. Zucker daher hat im cod. Erlang. n. 300 einen neuen exitus dieser comödie gefunden, in welchem ausser Pamphilus Charinus Chremes und Davus, die in einem der beiden andern exitus auftreten, noch Simo vorkommt. „ [1]

V. De Perinthiae oratione ac stilo in tanta fragmentorum paucitate et brevitate nihil certi adfirmari potest. Quod vero Terentius putatur propter orationem et stilum maluisse Andriae quam Perinthiae summam transferre, hoc nimis leve est. Cum enim Menandri oratio inde a primis quas scripsit comoediis per medias usque ad extremas constanter profecisse feratur (Plut. Ar. et Men. comp. 2) et veri simile sit Terentium perfectiorem fabulam sibi imitandam proposuisse, inde efficias Περινθίαν prius quam Ἀνδρίαν scriptam esse idque contra Ihnii aliorumque opinionem, qui Περινθίαν posteriorem fuisse idcirco existimant quod Ἀνδρίαν refictam ac recusam et Charini Byrriaeque personis auctam Περινθίαν a Menandro postea nuncupatam esse hariolantur. [2] Quod ad argu-

---

[1] Liber Schmidtii prodiit a. 1870: tertius ille exitus, quod sciam, nondum publici iuris factus est.

[2] Quod vero nuper Kockius excogitavit CAF III 112 Zenobii

mentum attinet, discimus e prol. id non ita dissimile in utraque fuisse. At quoniam haec non ita magna quae significatur dissimilitudo non prohibuit quo minus qui utramvis fabulam nosset ambas nosse censeretur, inde patet, quod in prol. " argumentum „ vocatur, id non ad factum ut aiunt purum putum quo fabula nititur respicere, sed ad totius comoediae ordinem et oeconomiam pertinere, quippe quibus aliquantum ambae dissensisse dicantur. Ex Perinthiae vero reliquiis argumentum effingere frustra conaberis,[1] nisi ad Andriam Terentianam saepe confugias. Quam ob rem potiusquam argumentum ordine enarrem, plus mihi videor proficere si ex fragmentis excudere aggredior quid Περινθία et Ἀνδρία simile, quid dissimile inter se habuerint. Primae scaenae summam in And. Ter. ex Perinthia manasse et in hac uxorem Simonis non fuisse adventiciam personam sed argumento fabulae immixtam supra coniecimus. Quaenam vero fuerint partes mulieri demandatae, ut nunc res est, adsequi non licet. Quoniam vero

---

loco nisus Περινθίαν πρώτην commemorantis (Milleri Melanges 355), hoc nomine Ἀνδρίαν significari potuisse, nullo pacto probandum est; neque enim ex illius loci contextu apparet qua tandem causa pulsus Zenobius hac circuitione uti maluerit, cum posset Ἀνδρίαν omnino dicere.

[1] Hoc Grauertus temptavit, sed falsa opinione imbutus alias quoque Terentianas scaenas praeter primam de Perinthia esse translatas aut ad Perinthiae exemplum exaratas, incertissimam huiusce fabulae imaginem praebuit. Quod vero Ladevicus temere opinatus est mus. Rhen. III p. 532 Perinthiam Menandri Cistellariae Plautinae prototypon fuisse, id verbo tetigisse sufficiat.

" matres filiis
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse „ Heaut. 991 sqq. [1]

fieri potest ut filium desperantem mater aliquo modo solata sit aut virum ut remissius ageret oraverit. Certe laetior fieret exitus fabulae, si non solius Pamphili sed etiam matris aegritudinem sisteret.

Simulandi consilium quod adulescenti dat Davus, simulationi senis opponendum, quod tamen postea in Davi ipsius damnum recidit, fuit certe etiam in Perinthia, siquidem fragmentum VI Perinthiae et Andriae commune manifesto demonstrat servum consilia senis detexisse. Qui quidem servus putari potest de hac re secum ipse, ut mos est servorum in palliata, non cum domino, ut censet Grauertus, gloriatus esse his verbis (fr. I):

" Ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅ τι
οὗτος μεγαλεῖόν ἐστι διαπεπραγμένος
ἐπαβελτερώσας τὸν πρότερον ἀβέλτερον. „

(Exple: " at si quis perspicaci domino serviat, sim. „ cf. Grauert. p. 191). Nova quam servus invenit fal-

---

[1] Cuius facti Menander hanc subiecit rationem (Men. fab. inc. fr. 112):

ἔστιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός·
ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱόν, ὁ δ' οἴεται.

(Cf. Heaut. V 4). Metri causa scripserim ἴδι', vel cum Bernhardio ὄντ'. Ita scribit etiam Kockius.

lacia, postquam prior alio evaserat, etiam in Perinthia fortasse partu nitebatur: nam ad partum puellae nimirum pertinet fr. V:

— οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν, ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ,

quod eius obstetricis bibacitatem qualis Lesbia est I 4, 2 respicere videtur.

Utrum ad Pamphilum metu nuptiarum exanimatum (I 5 vel III 5) an ad Davum de se omnino desperantem (III 4, 21 sqq.) fragmentum III pertineat:

— ὅσ' ἔστι μαλακὰ συλλαβὼν
ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα, φίλος,

ambigunt Grauertus et Bentleius. Sed adulescentis verba in Perinthia haec fuisse secum loquentis cum Grauerto censeo, modo pro φίλος legatur Φίλων, quae Meinekii est suspicio. Cf. Plaut. Men. 553: " Propera, Menaechme: fer pedem, profer gradum, „ Don. ad Ad. II 4, 11: " — amatores comici cito comminantur patriam se deserturos, — „ Heaut. (Clinia), Ad. III 3, 30, Pl. Trin. II 4, 196, Merc. III 4, 57 sqq., Non. s. " protelare, „ Luc. dial. mer. 7, 4 [III 298].

Num Crito quidam etiam in Perinthia actionis nodum solverit non satis quidem liquido patet: nonnullis tamen fragmentis veri simile fit. Nam ad eius modi litem, qualis illa est inter Critonem et Simonem V 4, rettulit Grauertus fr. IV:

Ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν εἰσι πομπεῖαί τινες
σφόδρα λοίδοροι.

Mihi porro a Critonis ingenio haec (fr. II) non abhorrere videntur (cf. IV 5, 3 et 21):

> Οὐπώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρόν·
> εἰς τὸν ἴσον οἶκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ.

(οἶκον Bentleius). Ad eandem altercationem rettulit Grauertus etiam fr. VII:

> Οὐδ' αὐτός εἰμι σὺν θεοῖς ὑπόξυλος,

quod v. d. Critoni attribuit probitatem suam defendenti. Ego vero de hoc fragmento paullo aliter sentio. Scholiasta Hermog. V 486 Walz. explicat in universum vocem ὑπόξ. figurate adhibitam: κεῖται δὲ (τὸ ὑπόξ.) ἐπὶ τῶν λαμπρῶν μὲν ἔξωθεν καὶ ἐπιεικῶν, πονηρῶν δὲ τὰ ἔνδον, adiecto inter alios loco Menandreo. At in Bekk. anecd. p. 1073 legitur: Μένανδρος ἐν Περινθίᾳ φησίν Οὐδ' αὐτός κτλ. οἷον κίβδηλος καὶ οὐ γνήσιος οὐδὲ ἀληθής. Quae quidem interpretatio cum sit peculiaris loco Menandreo sola in examen vocanda est: at quoniam loci intellectui non sufficit, plura docet Pollux. Qui III 56 de falso cive cum loquatur, id est de eo qui non rite inter cives adscriptus sit, τοιοῦτον, inquit, καὶ ὑπόξυλον ὠνόμαζον οἱ νέοι κωμικοί. Utroque loco collato, sic scribe:

> Οὐδ' ἀστός εἰμι σὺν θεοῖς ὑπόξυλος.

quae vera etiam est scriptura. Nam si vulgatam lectionem et interpretationem sequeremur, quid sibi vellet,

quaeso, illud σὺν θεοῖς quasi qui loquitur probitatem suam a dis repetat? — Clamat aliquis (Simo?) se verum esse civem, non commenticium, ideoque contra fallacias peregrini (Critonis?) se pulchre esse instructum. Peregrinus autem, ut constat, πρᾶγμα εὐκαταφρόνητον Athenis erat, ut Luciani verbo utar. Cf. Eun. 759 sq., And. 810 sq.

Fragm. VIII a Suida servatum his verbis ἀνέπαφον· ἀνεύθυνον, καθαρόν, ἀθιγές, ἀψηλάφητον. Μένανδρος Περινθίᾳ Τὰ δ' ἄλλ' ἀνέπαφα σώματ'*οὐδέλη, ad quem Terentianae fabulae locum pertineat non adsequor. Certe ἀνέφαπτα σώματα (ita enim corrigendum est) sunt ἱερόδουλοι, de quibus v. Boeckh. inscr. 1607, 1608, 1699-1701, 1703-1707, 1709ᵇ, 1710. — Idem dicendum de fragm. ap. Kock. 401 (CAF III 114): Αἰάντειος γέλως.

§ 2. — HECYRA.

I. De Hecyra Terentiana nondum satis constat utrum ex Menandro an ex Apollodoro translata sit: plerumque vero Apollodorus palmam fert. Quod quidem cum mihi non recte diiudicatum videatur, paullo accuratius de hac re disputare aggrediar. — Didascalia codicis Bemb. (A) habet “ Graeca Menandru:[1] „

---

[1] Non “ Gr. Apollodoru, „ quod veteres ediderunt (Mein. hist. crit. p. 464) Donati verbis fortasse obsecuti (Ritschel. Par. 325, Fritzsche Quaest. Ter. I p. 21). Hic idem error legitur in libro nuper edito (“ La comédie grecque par Jacques Denis, Paris 1887. „)

in Calliopii manu scriptis didascalia desideratur. Donatus et in fabulae praefat. et in Suet. Ter. vit. auctario et in scholiis Apollodorum constanter memorat. Quoniam autem Hecyrae graecae nullum extat testimonium aut fragmentum praeter quae sub Apollodori nomine a Donato adferuntur, prout didascaliae aut Donati praestaret auctoritas alterutri poetae Ἑκυρά adiudicanda esse videretur. At quia non uno sed pluribus locis Donatus Apollodorum commemoravit, inde factum puto ut Donati auctoritas didascaliae testimonio potior habeatur: nam aliam invenire causam omnino nequeo. Sed spero me Donati auctoritatem penitus labefactaturum et Menandro hanc quoque fabulam vindicaturum. Audiamus iam Donatum. In Hec. praefat. sic ait: " Haec fabula Apollodori dicitur esse Graeca. nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur esse translatae[1] „ et in auctario: " duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur, Phormio et Hecyra. „ Inprimis adnotandum est illud " dicuntur „ ad Hecyram tantum pertinere: nam, ad Phormionem quod attinet, quamvis ne hanc quidem Donatus inspexisset, quin tamen ex Apollodoro derivata esset non dubitavit, cum in Phorm. praef. aperte dicat: " hanc comoediam *manifestum est* prius ab Apollodoro sub alio nomine hoc est sub ἐπιδικαζομένου Graece scriptam esse, quam Latine a Terentio Phormionem.[2] „ Hecyram vero eatenus adfirmavit Apollodori esse quatenus et ipsa et Phormio ab eodem poeta trans-

---

[1] Reiff. p. 12.
[2] Reiff. p. 14.

latae esse dicebantur — neque umquam Hecyram seorsum a Phormione commemoravit. Nonne Donati ratiocinatio haec esse videtur: Hecyra et Phormio ex eodem poeta translatae dicuntur: at Phormio ex Apollodori Epidicazomeno procul dubio manavit: ergo graecae quoque Hecyrae auctor fuit Apollodorus? — Quae quidem Donati haesitatio inde profecto originem repetit quod veterum scriptorum iudicia non inter Menandrum duntaxat et Apollodorum, sed etiam inter Apollodorum et alios fluctuaverint; id quod ex his Eugraphii verbis apparet (ad Hec. prol., ed. Klotz): " Non omnes comoediae Terenti a *Menandro uidentur* esse translatae, nam haec quae Hecyra est *alterum Graecum* habet auctorem. quis ille sit *habetur incertum: alii* Apollodorum uolunt. „ Cum igitur ita se res antiquitus haberent, ut de Hecyrae auctore ambigeretur, deficiente prologo Terentiano primo, Phormio vero hoc est Epidicazomenos videretur manifesto Apollodoro attribuenda, levissima quaeque causa satis erat ut fabula bis exclusa et tertio vix acta Menandro indigna haberetur et alteri minus praeclaro poetae obtruderetur. Nec vero temere est, opinor, quod Phormio et Hecyra visae sint communem habere auctorem. Nam in oeconomia quaedam inter utramque similitudo, levis quidem et fortuita, intercedit, siquidem utriusque πρότασις personas habet protaticas, altera Philotidem et Syram, altera Davum, ἐπίτασις autem et καταστροφή abitu redituque Pamphili in Hecyra, senum in Phormione quodam modo nituntur. Rebus sic constitutis, iam patet ambagibus scholiastarum didascaliae testimonium longissime praestare,

nec dubitandum esse, quin Donatus in scholiis nomen Apollodori de suo addiderit, cum veri simile non sit Donatum et Eugraphium dubitative locuturos fuisse, si graeci exemplaris fragmenta poetae nomen prae se tulissent. — Conspirant in sententiam nostram nonnulla Menandrea fragmenta quae ex Hecyrae exemplari accessisse videntur. Atque inprimis Palladius in vita Io. Chrysost. p. 142 ed. Big. (inc. fr. 36 M.) haec habet: δεινὸν κολακεία κατὰ τὸν κωμικὸν Μένανδρον μετὰ δυστροπίας συγκεκλωσμένη, καθὼς λέγει·

χαλεπόν, Πάμφιλε,
ἐλευθέρᾳ γυναικὶ πρὸς πόρνην μάχη.
πλείονα κακουργεῖ, πλεῖον' οἶδ', αἰσχύνεται
οὐδέν, κολακεύει μᾶλλον. [1]

Quae quidem verba adeo quadrant in Lachetem cum filio Pamphilo colloquentem IV 4 (cf. potissimum v. 72-74) inque totius fabulae rationem, ut similem locum quin etiam in graeca obtinuerint vix liceat dubitare. Tum Men. gn. mon. 736: φιλίας μέγιστος δεσμὸς αἱ τέκνων γοναί huic Hecyrae loco respondet:

---

[1] Ap. Palladium quidem et Cyrillum legitur Παμφίλη (erravit enim Mein. de Cyrillo, cf. suppl. add. V 272): attamen Πάμφιλε recipiendum esse eo evincitur, quod Παμφίλη nomen est liberalis puellae aut matronae, ut in Pl. Sticho; qua praesente is qui loquitur non potuit dicere verbum turpe (πόρνη). Cf. Heaut. 1041 sq.:

" Non mihi per fallacias adducere ante oculos... pudet
Dicere hac praesente (*sc. Sostrata*) uerbum turpe. „

Librariorum errorem inde ortum esse censeo, quod illi ipsi quae subinde memoratur ἐλευθέρᾳ γυναικί orationem habitam esse putaverint.

" Adeon peruicaci esse animo ut puerum praeoptares perire, Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires? „ IV 1, 17 sq. Deinde haec verba Lachetis, quibus senex ostendit consilium suum concedendi rus cum uxore: " odiosa haec est aetas adulescentulis: E medio aequom excedere est „ IV 3, 13 sq., comparari possunt cum his Menandreis sententiis (gn. mon. 693, fr. inc. 272):

— ὀχληρός ἐστιν ἐν νέοις ἀνὴρ γέρων.
— πικρὸν [γάρ] ἐστι θρέμμ' ἐν οἰκίᾳ γέρων.[1]

Silentio denique praeterire non possum etiam in Hecyra imitationis vestigia ex Euripide inveniri, quem quantum suppilaverit Menander nemo ignorat: id quod de Apollodoro non aeque constat. Nam Fritzschius (Quaest. Ter. I p. 25) cum III 3, 30 composuit Euripideam sententiam: χάρις γὰρ ἀντὶ χάριτος ἐλθέτω Hel. 1234, et cum III 5, 41 contulit Dobraeus (Advers. II 384) haec Euripidea: σὲ δ' ἄλλη τις γυνὴ κεκτήσεται | σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως Alc. 183. Nunc liceat mihi coniecturam facere, quae si recta est non nullius pro nostra investigatione momenti videbitur. De meretricibus in Menandreis fabulis haec prae se fert Plutarchus quaest. conv. VII 8, 3: — τὰ δὲ πρὸς ἑταίραις, ἂν μὲν ὦσιν ἰταμαὶ καὶ θρασεῖαι, διακόπτεται σωφρονισμοῖς τισιν ἢ μετανοίαις τῶν νέων· ταῖς δὲ χρησταῖς καὶ ἀντερώσαις ἢ πατήρ τις ἀνευρίσκεται γνήσιος ἢ χρόνος τις ἐπιμετρεῖται τῷ ἔρωτι συμ-

[1] Possis etiam comparare fr. inc. 432 et Hec. IV 1, 2.

περιφορὰν αἰδοῦς ἔχων φιλάνθρωπον. Sententia verborum χρόνος—φιλάνθρωπον subobscura est; nec quae proponuntur interpretationes intellectui plane satisfaciunt. At si scripseris συμπεριφορᾶς εἶδος ἔχων φιλανθρώπου sensus hic perpicuus evadit: " spatium amandi longius producitur, quod speciem indulgentiae prae se ferat cum humana imbecillitate congruentis. „ Quae quidem ipsa eademque deprehendas Phidippum uxori suae praedicantem de consuetudine filii et Bacchidis, bonae et ex corde amantis meretricis (v. 735, 756 sqq., 775 sq., 835 sqq.):

" Audisti ex aliquo fortasse, qui uidisse eum diceret
Exeuntem aut intro euntem ad amicam. quid tum [postea?
Si modeste ac raro hoc fecit, *nonne dissimulare nos*
Magis humanumst quam dare operam id scire, qui [nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente auellere,
Quacum tot consuesset annos, non eum hominem [ducerem
Nec uirum satis firmum gnatae. „ IV I, 35-41.[1]

Nonne tibi videtur, quod doctissimus Chaeronensis Menandri proprium fuisse testatur, id Hecyrae exemplo mirifice confirmari?

Quid denique statuamus de his Apollinaris Sidonii verbis? ep. IV 12: " Nuper ego filiusque communis

[1] IV 4, 62 Pamphilo pater ait: " Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi! „ Cfr Men. inc. fr. 193 (726 K.):

ἔργον ἐστί, Φανία,
μακρὰν συνήθειαν βραχεῖ λῦσαι χρόνῳ.

Terentianae Hecyrae sales ruminabamus. studenti adsidebam naturae meminens et professionis oblitus; quoque absolutius rhytmos comicos incitata docilitate sequeretur, ipse etiam fabulam similis argumenti id est Epitrepontes Menandri manibus habebam. „ Quamvis Apollinaris de simili argumento tantummodo verbum faciat, fatendum est tamen etiam sales quosdam utriusque fabulae communes esse debuisse: sin aliter nihil erat cur idem Terentianae Hecyrae sales se ruminasse diceret, qui Epitrepontes tantum Menandri manibus haberet. Quoniam vero 'Επιτρέποντες prototypos Ter. Hecyrae esse non potuit (obstat enim cum Donatus et titulus Ter. fabulae graecus tum ipsa didascalia, quae de fabulae graecae nomine cum taceat idem esse graecae et latinae satis testatur),[1] nihil aliud restat quam ut Ἑκυράν primum scripsisse Menander conseatur eamque, quod prima actione ceciderit aut parum placuerit, retractatam atque expolitam 'Επιτρέποντες vocaverit: id quod sexcenties a graecis comicis factum esse censeri potest.[2] Apollinaris autem videtur ob eam rem Epitrepontes adhibuisse ad eum usum cui melius Ἑκυρά convenisset, quod eius aetate haec deperdita iam esset: immo ne Donati quidem tempore fabulam iam servari apertum est. Nec mirum quod Epitrepontes praestantissimis Menandreis fabulis adnumerata, Alciph. ep. II 114, inque magno honore habita, Apollon. de Synt. III p. 297,

---

[1] V. Dziatzko. “ Ueber die Ter. didask. „ in mus. rhen. XX 570 sqq., XXI 80.

[2] Mein. hist. crit. p. 31 sq.; de tragoediis Welcker. “ Die griech. Trag. „ p. 906 sq.

Hecyram progressu temporis oblivioni damnaverit. Quod vero Terentius maluerit Ἑκυράν quam Ἐπιτρέποντες transferre, hoc inde recte Kampius l. s. s. p. 2 sq. repetiit quod in ea multa ad ius atticum spectantia invenirentur (Quint. X 1, 70, Mein. Men. p. 61, CGF V suppl. add. 250 sq., add. corr. p. 102) titulusque adeo ipse iuris formulam contineret (cf. etiam Phorm. Ἐπιδικαζ.): quae quidem omnia Romani spectatoris stomacho vix Terentio successisset accommodare.

II. Etsi Apollodori mentionem quae in scholiis habetur Donato deberi supra docuimus, qui vel in ceteris fabulis nomen graeci poetae fragmentis addere consuevit (fortasse in Donati fontibus erat " in Graeca „ aut sim.), inde tamen colligere non licet potuisse duorum poetarum nomina aut etiam duarum fabularum in scholiis latere; nam recte docet Ihnius l. s. s. p. 13 principalis tantum exemplaris locos a Donato adferri. Quam ob rem eis uti par est ut contaminationis suspicio ab hac fabula removeatur. Suspicandi initium duae priores scaenae fecerunt. Eas quidem e graeco fonte fluxisse testis est Don. ad I 1, 1:[1] at Ladevicus, quoniam personis protaticis Graecos usos esse negat, ait Philotidis et Syrae colloquium non ex Hecyrae archetypo sed ex alia quadam graeca accessisse, ubi hae personae argumento admixtae essent.[2] Haec opinio infirmatur iis quae supra diximus;

[1] Tum ex schol. ad III 4, 26 apparet etiam in graeca Parmenonem a scaena amotum esse ne parturientis Philumenae vocem audiret. Igitur etiam in graeca de dilato concubitu conscius erat: id quod e colloquio Parmenonis et Philotidis primum discimus.

[2] " Beiträge z. Krit. d. T. „ p. 7-8.

sed Ladevicus hoc potissimum Donati scholio ad I 1, 1 nititur: " Nouo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur. nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulae. hoc autem maluit Terentius quam aut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. „ At novum genus vocavit Donatus *duarum* huius modi personarum introductionem idque in romana scaena, cum latini comici non amplius una persona protatica usi essent (And., Phorm., Plaut. Most.). Ceterum qui potuit scholiasta uni Terentio personas Philotidis et Syrae tribuere cum paullo post locum adlaturus esset unde locutam esse utramque in graeca eluceret?[1] Quod ad Heaut. prol. v. 16 sq. attinet " rumores distulerunt maliuoli *Multas contaminasse* „ a Dziatzkone plane dissentio mus. rhen. XXI 80-81 (cf. 76-77 et Ad.[2] p. 12 n.) cum ob ea quae supra disputavi p. 7 sq., tum etiam quia Donati verba ad III 4, 1: " Alia ratio est currentis ad argumenta, alia actuum comicorum. — nam in hac scaena, donec perueniat ad Pamphilum Parmeno, εὕρημα inducitur cum hoc ostenditur quid mali sit nauigatio „ ad oeconomiam fabulae, non ad exemplaris diversitatem referenda esse duco. Donec igitur graviora proferantur argumenta, Terentianam Hecyram ex uno eodemque exemplari totam derivatam esse

---

[1] Quae praeterea disputat Ladevicus de Parmenonis loquacitate, cuius in reliqua fabula nullum inveniatur vestigium, de Sostratae in scaenam adventu non antea nuntiatae v. 197, de nurus mentione sub nomine etiamtum spectatoribus ignoto, leviora sunt quam quae necessario ad duplex exemplar referantur.

censeo, nisi forte singula quaedam dicta sententiaeve aliunde accesserunt, cf. p. 7-8.

III. Graeci archetypi vestigia haud quidem multa extant: eius modi tamen sunt ut cum latina fabula suo quodque loco comparata de simili graecae filo et argumento fidem faciant. Nam de Philotidis et Syrae colloquio in prima fabula testatur schol. ad I 1, 1: ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισιν, Σύρα, | βέβαιος — de Lachetis cum uxore altercatione schol. ad II, 1 17: ἐν ἤθει. Apollodorus Σύ με παντάπασιν ἥγησαι λίθον[1] — de Pamphili reditu et domestica calamitate schol. ad III 1, 6 insigniter deformatum, quod Cobetus magna cum probabilitate sic restituit: οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον κερδαίνομεν | ὁπόσον ἂν ἀγνοῶμεν ἠτυχηκότες — de Philumenae partu et matris sollicitudine verentis ne peccatum filiae palam fiat schol. ad III 3, 20: " est haec καθολική sententia. Apollodorus οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός[2] „ — de Pamphili commento ut Parmenonem a scaena amoveat schol. ad III 4, 26 " Imperite Terentium de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus *caluum* dixerit, quod proprium Myconiis est, ut Lucilius: *Myconi calua omnis iuuentus.* unde etiam prouerbium graecum φαλακροὶ Μυκόνιοι. sed ego Terentium puto scientem

---

[1] ἥγησαι Cobetus ex corrupto e HCAY: quod iniuria reprehendit Fritzschius l. s. s. p. 23. Fortasse totus senarius sic redintegrandus est: σὺ μὲν ἐμὲ παντάπασιν κτέ.

[2] Varie restitutum est: Mein. οὕτως ἕκαστός ἐστι διὰ τὰ πράγματα | ἢ σεμνὸς ἢ ταπεινός, Nauckius οὔ. ἕκ. δ. τ. πρ. σ. ἦν | ἢ κ. τ., Cobetus ἡμῶν ἕκ. ἐστι παρὰ τ. πρ. | ἢ σ. ἢ τ., Fritzschius οὔ. ἕκ. ἐστι πρὸς τ. πρ. | σεμνός τε καὶ ταπεινός.

facetius Myconium crispum dixisse.[1] „ Praeter hanc levidensem immutationem, aliam graviorem indicat Donatus ad V 3, 27: “ *Quid exanimatu 's obsecro? aut unde anulum istum nactu 's?* Breuitati consulit Terentius. nam in Graeca haec aguntur, non narrantur. „ Posteriora verba proscribit Ihnius ut magistelli cuiusdam additamentum, probante Ladevico l. s. s. p. 9-10. Koenighoffius “ de ratione q. s. „ p. 29, Fritzschius l. s. s. p. 26, Teuffelius “ Studien u. char. „ p. 281 adn., Hildebrandtus “ de Hec. Ter. orig. „ p. 5 eam Donati verbis vim inesse putarunt ut non ea quae v. 27 sqq. narrat Bacchis quaeque nullo modo agi poterant sed sola anuli agnitio acta esse in graeca diceretur.[2] Cui quidem sententiae eo facilius subscribo quod huiusce rei indicium in Terentiana fabula agnosco. Servus enim Parmeno rogatus a Philotide in prima fabula num Pamphilus postquam uxorem duxisset ad Bacchidem etiam itaret, “ Cotidie „ respondet I 2, 82: id quod etiam ex IV 4, 71-74, 87-91 elucet. At Bacchis contrarium fatetur. Equidem concedo, quod meretrix iure iurando sese adfirmat segregatum a se habuisse Pamphilum, uxorem ut duxit V 1. 22-26, id mentitam esse Pamphili causa, scilicet ne peccata eius

---

[1] “ Facetius „ sc. quia παρὰ προσδοκίαν dictum. Sibi invicem repugnantia consulto miscet Terentius. Ut pauperrimi et inedia paene consumpti ridebantur Myconii (Athen. I 7 f, fr. anon. 367 M., Cratin. inc. fab. 328 K., Zenob. V 21): proprie igitur “ cadauerosa facie, „ at non “ rubicundus „ ibid.

[2] Fridericus Kampius l. s. s. p. 3 censuit in graeca fabula praeludii instar (*Vorspiel*) fuisse, ut in Plauti M. glor., quo res decem mensibus antea gestae agerentur. Quam quidem sententiam multis de causis claudicantem satis destrinxit Spengelius in “ Bursian 's Iahresber. „ II a. 1884 p. 75.

patri indicaret patrisque adeo suspicionem ipsa confirmaret (cf. V 2, 8 sqq., V 4, 25-28); at nihil erat cur vel cum sola loqueretur V 3, 39 sq. nullaque ideo mentiendi causa intercederet hoc idem mentiretur: " Ego *dum illo licitumst* usa sum benigno et lepido et comi. Incommode mihi *nuptiis* euenit. „ Quod si fecit meretrix putanda est non sola h. l. sed cum Myrrina locuta esse: idque in eo scilicet ambarum congressu quo anuli agnitio *acta* esse dicitur. Coram autem Philumenae matre facile intellegitur cur meretrix et se et Pamphilum omni crimine expurgare studeat, cum praesertim anulo cognito variis de causis se et Lachetis et Myrrinae et utriusque adeo domus gratiam inisse sentiat (cf. v. 794 sqq., v. 820 sq.). —Illud vero molestias creavit quod schol. s. s. ad narrationem pertineat noctis illius qua donum ab amatore anulum accepit Bacchis; sed hanc offensionem spondeo posthac nullam fore, modo scholium illud ad versum huius scaenae 33 transferas. Quam saepe Donati scholiorum ordo perturbatus inveniatur scit quicumque ea vel leviter inspexerit; unum ego exemplum adferam idque ex hac scaena petitum. Ad v. 39 scholium hoc relatum in libris legitur " *Ego dum illo licitum est:* an meruerit Pamphilus. „ quod ne Oedipus quidem explicabit, nisi ad v. 41 transferatur " At pol me fecisse arbitror, ne id merito mi eueniret. „ — Cur autem scholium de v. 27 amotum ad v. 33 transferri debeat, ostendit pars scholii prior: " Breuitati consulit Terentius, „ quae quidem non minus obscura est quam posterior, si ad v. 27 referatur. Si quis enim in Donati lectione paullo exercitatior huius modi versum inve-

nerit (33) “ Rogat unde sit: narro omnia haec: indest cognitio facta „ iure mirari debet quod hoc loco Donatus taceat, qui numquam si quid breviter celeriturque dictum reperit omittat adnotare, cf. schol. ad. Eun. V 3, 6, V 9, 32, Phorm. I 2, 13, I 2, 85, I 4, 37, Ad. III, 4, 20, III 5, 45. — Ad fabulae oeconomiam quod attinet, rem sic in graeca administratam fuisse censeo, Terentio ipso duce. Ex V 4, 13 et 32 apparet Myrrinam anulum cognovisse: at quoniam non patet cur non ipsa Philumena eum cognoverit, quae quidem et ipsa Bacchidem viderat V 4, 23, Donati insuper verbis comparatis, haec omnia ita expedio, ut pudor Philumenae V 2, 27 paullisper in scaena cunctantem fecerit meretricem; interea Myrrina nescio qua causa exierit, anulum in digito Bacchidis cognoverit, eam de eo rogaverit: inde meretricis narratio, quae ap. Ter. minus apte a Bacchide sola fit spectatorum causa. — Haec omnia in scaena inter V 2 et 3 posita agebantur: huc igitur transposita putari debent etiam ea quae ap. Ter. in scaena tertia v. 23-42 leguntur: idque eo probabilius fit quod intervallum versuum 18-42 veri simili longius est Parmenoni ad Pamphilum vocandum, cuius domus in scaena est. — Anulo cognito Myrrina et Bacchis ut par est domum ingrediuntur, laetum nuntium ut adferant Philumenae, quae his rebus auditis confestim iubet arcessi Pamphilum (cf. V 3, 11). Haec dum intus geruntur prodit Parmeno (cf. 5, 3, 1): pauca loquitur (cf. 1-9): iubetur vocare Pamphilum (cf. 10-17). Dum Bacchis interponit paucula (v. 18-23) — aut si quis alius fuit vocatum Parmenonem missus — prodit Pamphilus V 4, 1 cum Parmenone colloquens:

actio deinceps procedit ut ex Ter. conspicitur. Quae si recte excogitavimus, mutationis causa inde repetenda videtur quod Romano poetae religioni fuerit matronam cum meretrice in scaena colloquentem producere, dum Graecus comicus, apud quem plus vitae exemplum artisque vis quam morum observantia valuit, sensit honestam mulierem summo gaudio necopinato abreptam posse etiam cum meretrice pactionem inire.

Alia immutationis vestigia perspicere nequeo. Quae vero Hildebrandtus sibi repugnare censet, praesertim in Parmenonis Phidippi Pamphili personis, ea mihi eius modi videntur esse de quibus in utramque partem possit disputari.[1]

Si quis denique quaerat cur " Hecyra „ non " Hecyrae „ inscribatur fabula cum duae sint in ea socrus Sostrata et Myrrina, equidem dixerim a sola Sostrata nomen inditum esse fabulae. Quamvis enim Myrrina non mediocres in hac fabula partes obtineat, Sostrata tamen consilio poetae melius inservit, quippe quae receptae vulgataeque de socrubus opinionis poenas luat atque illius conditionem mulieris adumbret quae cum bona sit male tamen audit socruum omnium fato obnoxia. Cf. II 1, 1-7 et 42-45, II 3, 4. Myrrina vero etiamsi bona et ipsa sit, non tamen est prorsus extra noxam. Accedit quod si comoedia nomen acciperet a Myrrina, non Ἑκυρά sed Πενθερά inscriberetur.

---

[1] Hildebrandtus autem non de graeci exemplaris mutatione, sed de retractata fabula cogitat (p. 51): " Hoc ego habeo persuasum — fabulam iam ante compositam a poeta esse retractatam, retractatam vero parum diligenter atque ut ita dicam invita Minerva. „ Sed, ut verum fatear, d. v. mihi persuasit nihil.

§ 3. — HEAVTON TIMORVMENOS.

I. Quoniam Donati commentarius in Heaut. desideratur et Eugraphii qui servatur eius modi est ut Donatiani iacturam non compenset, omnis de prototypo quaestio circa prologum plerumque versatur: de quo cum et olim et nuper multi perperam iudicasse mihi videantur, exordium praecipue in examen revocandum esse duco. Est autem hoc:

" Nequoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium,
Id primum dicam, deinde quod ueni eloquar.
Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heauton timorumenon,
Duplex quae ex argumento facta est simplici.
Nouam esse ostendi et quae esset: nunc qui scri-
Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam [pserit
Existumarem scire uostrum, id dicerem q. s. „

Verba " ex integra Graeca integram comoediam „ sic explicat Dziatzko (De prol. Plaut. et Ter. p. 8): " ex graeca fabula, cuius nemo quidquam praeripuit, latinam, cui non oportuit quidquam addi. „ — De huius modi interpretatione valde dubito. Quid enim sibi velit fabula latina cui non oportuerit quidquam addi non plane adsequor, quandoquidem, ut supra docuimus, graecae tantum fabulae contaminabantur Lusci iudicio, ob eamque rem nihil causae erat cur

de contaminatis latinis ageretur hisque latinae integrae opponerentur. Quodsi graecam et latinam memorat Terentius, apertum est debere et nos, quid de graeca, quid de latina proprie praedicetur accurate distinguere: ut vero aliquid graecae addi oportuerit fieri certe potest, non ut latinae. Accedit quod cum Dziatzko ipse fateatur: " vox *integer* in eodem versu bis usurpata eadem, ut ita dicam, principali significatione esse debet, „ re vera autem interpretationem exhibet quae huius modi condicioni non satisfacit.[1] At haec quam quaerimus principalis significatio in verbo *tango* inest — unde etiam vox *integer* derivatur — atque interpretatio Faerniana " ex integra Graeca: *a nullo tacta* „ a Dziatzkone repudiata longe ceteris praestat, opinor. Quod enim Dziatzko obicit: " qualem statuamus integram latinam comoediam esse? „ nulli est incommodo. Nam vox " integer „ (ut etiam " intactus „) ex numero earum est quae significationem ex verborum contextu saepe accipiunt: ut si quis de puella loquatur " integra „ idem sit quod " non vitiata, virgo „ Hec. 145, si de homine litiganti, id quod " non lacessitus „ Hor. serm. II 1, 85, cf. 151, si de carne ferina, id quod " non rancida „ Hor. II 2, 92, si de causis dicendis, " non dicta „ Hec. 80, cf.

[1] Quod ut fieret, debuit v. d. sic interpretari: " ex graeca cui nihil defuit (sc. quam poeta non duxit aliis aliunde sublatis partibus augendam esse), latinam cui nihil deest (sc. quae per se stat omnibusque numeris absoluta est) — „ quod tamen et nimis superbum esset et repugnaret alteri Terentiano loco (Ad. prol. v. 10-11: Eum Plautus locum Reliquit integrum), unde perspicue discimus quo modo illud " ex integra Graeca „ intellegendum sit.

Don. ad h. l., sim. Unde apparet *integram graecam* fabulam eam intellegi quae nondum *latina* sive tota sive aliqua ex parte ab aliis facta sit, et *latinam agendam* fabulam (" int. com. hodie sum acturus „) dici integram quae nondum acta seu nova sit.[1] Cum ita se res habeant, totus versiculus 4 eo spectat ut fabula nova esse intellegatur — commode huc referuntur verba " nouam esse ostendi „ v. 7,[2] „ — nec quidquam in eo est quod ad contaminationem attineat. Nunc vero, quoniam illo versu non prohibemur quo minus graecum exemplar, etiam quod attinet ad oeconomiam, admodum mutatum aut locupletatum a Terentio existimemus, age videamus quid de v. 6 statuendum sit: " duplex quae ex argumento facta est simplici, „ quem Fleckeisenus Ihnio auctore l. s. s. thes. 14 unco damnavit, probante Dziatzkone. Quid sit duplex comoedia commonstravit Faernus: " duo adulescentes in hac comoedia introducti cum sua uterque amica patre servo duplex argumentum faciunt atque ita duplicem comoediam, ut sunt omnes Terentianae, excepta Hecyra. „ Haec sententia grammaticorum doctrinam apertissime sapere non iniuria Dziatzkoni visa est, com-

---

[1] Nec dubito quin " nouam „ dicturus fuerit Terentius, ut alibi fecit, nisi simili vocabulo uti maluisset (cf. tit. in sepulchro Bembi: Vixit an. XXXVII integer integros); nam voces *integer* et *novus* etiam promiscue usurpantur, Pl. Cas. III 5, 4: " Nouam atque integram audaciam! „ Cf. etiam scholia Bembina: " integra Graeca: a nullo translata. „ — " integr com: nouam in s.....sam, ut Cicero i......nitudo eius re... hominum atq..... „ — Ceterum cf. Aristoph. Av. 1721 sq.: περιπέτεσθε | μάκαρα μάκαρι σὺν τύχῃ, ubi v. μάκαρα passivum, v. μάκαρι activum sensum ex verborum contextu accipit.

[2] V. supra p. 19².

paratis locis similibus ex Don. Phorm. praef. et ex Euanth. (Klotz. p. XV 11 sqq.): quibus addi possunt hice: Don. ad Eun. III 1, 50, ad And. II 1, 1 et V, 6 13 (ubi fabula bipartito dividitur et altera pars " extra praescriptum Menandri „ adiecta dicitur. Cf. supra p. 36 sq.). Neque ego infitias eo quin, si " argumento — duplici „ legitur, quod habet a prima manu cod. Bemb., totus versus superiorum interpretamentum iure habeatur, cum praesertim Terentius nullo modo censendus sit primam vocabuli " duplici „ produxisse — idque nec Bentleium nec criticorum ullum animadvertisse miror, — quippe debilis positionis, ut constat, nulla vis est apud scaenicos veteres. At si " argumento — simplici „ genuina est lectio, gravior tum fit disputatio, cum duplicis comoediae notitia a loco Terentiano profecta esse et apud grammaticos postea invaluisse putari possit.[1] Qua re argumenta huc demum recidunt ut utra sit genuina lectio statuatur. Quod cum fieri certa ratione nequeat, quamvis lectio " simplici „ praestare videatur, res etiamnum in ancipiti manet. Quae cum ita sint, incerti relinquimur utrum graeca Heaut. duplex an simplex fuerit — nam quin ea verba ad graecum exemplar referenda sint dubitare non licet, — nec prohibemur quo minus de hac re iudicio nostro fabulaeque examini libere obsequamur.

In universum aestimanti consiliumque requirenti quod Heaut. Ter. prae se fert hoc inprimis adnota-

---

[1] Etiam grammatica distinctio statariae comoediae et motoriae saepissime ap. Don. Eugr. alios frequentata ex Heaut. prol. v. 35-47 nimirum orta est.

tione dignum occurrit, quod Chremes dum Menedemo summa adfecto aegritudine bona dat consilia sibi ipse consulere nequit, vehementiam Menedemi in filium dum exprobrat (v. 119, 440) vehementissimum se ipse patrem praebet. Illud igitur ex tota fabula documentum elici videtur, ut, si de filii salute agatur, irati patris animus vel sapientissimi certa ratione regi nequeat. At si hoc poetae consilium fuit, inde emergit et primarias in hac fabula partes habere Chremetem et eum debere duritiae suae poenas dare. Contra et fabulae Menedemus nomen indidit et in exitu triumphantem videmus Chremetem, qui filium a meretricio amore abstrahit idemque adeo ut uxorem ducat impetrat. Quod quidem matrimonium nec necessarium argumento fabulae, postquam adulescens meretricem abdicaverat, nec prorsus ulla antea arte praeparatum nec decori legibus respondens uni Terentio deberi amores comicos nuptiis concludere solito[1] iure suspiceris, quamquam id pro certo adfirmare non equidem ausim. Confidentius rem gessit Carolus Venediger in annal. philol. CIX p. 129 sqq.; qui prologi versu 6 potissimum fretus autumavit duas fabulas in unam conflatas esse a Terentio, quarum alteram a Menandro paene ad

---

[1] Hac ex parte Spengelius " die comp. d. A. „ l. s. s. p. 611 comparat Terentium cum Lope de Vega. Eidem illi ampliandi argumenti studio, quod unius ferme Terenti proprium est, hoc deberi videtur, quod poeta omnes fabulae partes quam absolutissime explicat evolvitque. Aliter Plautus: ut unum adferam, in Menaechmorum exitu, quid post geminorum fratrum agnitionem matrona senex Erotium Peniculus senserint aut cogitaverint, subintellegendum est. At non ita in similis argumenti fabula *Shakspeare's Comedy of errors*. Cf. praeterea Dziatzko. Phorm.² p. 45¹ et Brix. Trin.⁴ p. 29.

verbum transtulisset, alteram prorsus de suo confinxisset. Argumentum autem Terentianae sic composuit: " Ein iunger wohlhabender mann ist in verzweiflung darüber, dass er seine geliebte aus mangel an geld verlassen soll. Sein freund und berather, vulgo sklave, benutzt die rückher eines freundes dazu iene geliebte in das haus des vaters seines iungen herrn zu bringen, dem aufgebunden wird, das mädchen sei die angebetete des zurückgekehrten. Derselbe wird sogar so weit geprellt, dass er freiwillig der dirne geld gibt. Endlich erfährt er, wie er hintergangen worden ist, enterbt seinen sohn und wird nur dadurch versöhnt, dass dieser verspricht ein ordentlicher mensch zu werden, d. h. zu heiraten „ p. 135. Quamvis huic opinioni prologi verba nulli sint praesidio meritoque a Kampio l. s. s. p. 15 sqq. etiam alias ob causas huius modi sententia improbetur, attamen quia et fabulae inspectio et fragmenta de gravibus mutationibus fidem faciunt et unum sibique per totam fabulam constans consilium non apparet et ea pars quae additicia Venedigero videtur nimis prae altera eminet, qua quidem argumentum nititur, equidem non dixerim hanc alteram partem a Terentio inventam, sed magna ex parte ap. Men. *narratam* fuisse, quam Terentius latius explicaverit et *actione* variaverit. Sed missis coniecturis ad fabulam ipsam accedamus.

II. Deficiente auxilio Donati frustra conaberis ex fragmentorum fabulaeque examine argumentum graecum effingere aut deprompta hinc indicia unum sub adspectum redigere: sufficiat igitur singula enarrare, quae nonnulli pro re usui esse videantur viamque

eis pro viribus munire qui rem denuo tractare velint. Atque inprimis adnotandum est duos in Ter. fab. inveniri locos, qui cum pro oeconomia et argumento fabulae nullius sint momenti, archetypi vestigia videntur esse iniuria a Terentio servata cum resectae aut mutatae fabulae non iam responderent. Cur enim Chremes I 1, 116 sqq. fingatur ad cenam vocavisse Phaniam nusquam deinceps patet. Certe ap. Men. haec invitatio non sine causa fuit: aut Chremes parumper a scaena amovendus erat aut postea in cenae narratione III 1, 46 sqq. paullo longiore ap. Men. (cf. fr. VII) etiam de Phania verbum erat. Item III 1, 89 sqq. ait Chremes se promisisse operam suam arbitrariam Simo et Critoni vicinis contendentibus de finibus, quam tamen eis non dat. Ne hoc quidem commentum quidquam habet cum argumento fabulae commune, indiciumque mutationis profecto est; sed quorsum in graeca spectaverit non adsequor. [1] — Aliam offensionem commonstravit Benfeius in sua Ter. translat. germ. p. 364, quae et ipsa ad exemplaris mutationem pertinere videtur. Ad v. 610-12 haec adnotat v. d.: " Da Chremes weiss dass Mened. auf iede weise sein geld an den mann [*sc. ad Cliniam*] bringen will, so

---

[1] Ladevicus qui hoc idem animadvertit " Beitr. usw. „ p. 5 suspicatur ap. Men. a scaena decessisse Chremetem ut Menedemus secum solus diutius loqueretur. Monologum quoque Syri in exitu scaenae secundae act. III longiorem ap. Men. fuisse autumat versibus 595-97 nisus, qui ut ipse ait " auf eine etwas längere entfernung des Syrus von Chremes hindeuten „ p. 6. Sed et in comoedia servi stantes pede in uno consilia captant (cf. And. 702-4 et 733) et eri quoque fiducia in exprompta Syri malitia et astutia aliquo modo urgeri debuit. Ceterum Syrus inde a v. 329 quid machinandum esset iam prospexerat.

muss er auch einsehen, dass es ziemlich einerlei ist ob der plan etwas feiner oder minder fein angelegt wird. „ Ladevicus censet aliquid h. l. resectum esse a Terentio quo Chremes se puellam sua pecunia redempturum promitteret, idque facilitate comprobari qua senex ad filiam agnoscendam adducitur, ipsa admirante uxore v. 664-65. Ladevici coniectura maximum habet probabilitatis momentum: hoc enim si statuamus, etiam intellegitur cur puellae agnitio omnes Syri fabricas funditus evertere dicatur, et servi verba explicantur " Crucior bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus „ v. 673, quando et eius fallacia Chremeti displicuerat et id quod senex promiserat nunc puella agnita recusare poterat.[1] Consilium vero requirens quod ad resecandum h. l. graecum exemplar impulerit Terentium, equidem arbitror ap. Men. Chremetem domum intrasse, ut argentum redemptionis efferret (cf. v. 804, 831), ibique eum de filia sua omnia rescisse; totam autem insequentem scaenam (IV 1) non actam sed narratam ap. Men.

---

[1] Quod re vera postea Chremes non gravatur pretium solvere puellae (v. 797: illud " haud faciam „ abnuentis non est ut perperam intellexit Ladevicus p. 7, immo adsentientis), id novae Syri astutiae debetur, quam servus v. 678 sibi in mentem venisse ait (cf. 689 sqq., 740, 767 sqq.). Praesensit enim callidus servus Chremetem quamvis fallaciis suis faventem in filia tamen sua periculum facere se negaturum, immo, id ne fieret, statim argentum soluturum. Et vero servus, cum argentum tantummodo spectet, aliud tamem agere videtur seque argento uti velle adsimulat ad maiores struendas fallacias (v. 790 sqq. 803). Tum autem eadem astutia etiam prospectum est ne Chremes ipse argentum ad meretricem omnium machinarum ignaram deferret veritatemque inde comperiret. Quod igitur Bacchis in Menedemi domum traducitur non temere fictum est, ut Ladevicus censet p. 6.

fuisse, et illum *bolum ereptum desubito e faucibus* graphice ad interceptum argentum referri.

Venio nunc ad Ἑαυτὸν τιμωρουμένου fragmenta. De duobus primis:

Πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς, δαιμονᾷς γεγονὼς ἔτη
τοσαῦθ'; ὁμοῦ γάρ ἐστιν ἑξήκοντά σοι,

et

Λουτρὸν θεραπαίνας [στρῶματ'] ἀργυρώματα

(fr. I et II ap. M., cf. add. corr. p. 101 et Meinek. anal. crit. ad Ath. p. 100), nihil dubii est quin ad I 1, 9 sq. et I 1, 78 rectissime referantur. Haec duo vero [1] quae in Bemb. scholiis leguntur: ad II 3, 44:

Ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ

et ad II 3, 53:

καὶ θεραπαινὶς ἦν μία·
αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακειμένη

suspecta iam fuerunt Guil. Wagnero (Heaut. ad h. l.), neque id iniuria ut censeo. Verba Terentiana simplicem antiquamque vitam Romanarum mulierum exprimere videntur [2] (cf. Brix. ad Pl. Men.[3] v. 798), et nimis fideliter graecis verbis redduntur: ut conatum versionis non male possis agnoscere. Has quoque sententias generales: Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται

---

[1] Male in unum coaluerunt ap. Mein. fr. III et Kock. fr. 142.

[2] Etiam illud " capillus passus „ v. 290 olet unde sit: constat enim graecas mulieres sibi ob luctum comas tondere consuevisse. Cf. Don. ad. Phorm. I 2, 41.

et Πᾶς πατὴρ μωρός [1] in eod. cod. ad II 4, 4 et III 1, 32 adscriptas recte fortasse Menandreae fabulae abiudicavit Ihnius (l. s. s. thes. 17, 18). Contra satis probabilis mihi videtur Meinekii coniectura qui de hoc fragm.:

Οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα

ait " Haec Chremetis verba esse suspicari licet, Cliniae patriam relinquendi consilium vituperantis; „ cf. I 2, 18 sqq., praecipue autem v. 26. Quod si ita est, sententiam Menandream non ad verbum sed concinnatam extulit Terentius. Paullo graviorem mutationem indicare videtur fr. VIII: ἀλλ' ἦν χιτών σοι, quod ad quem Ter. fabulae locum referas prorsus nescias.[2] At de multo etiam graviore mutatione fidem facit fr. VII:

Μετ' ἄριστον γὰρ ὡς ἀμυγδάλας ἐγὼ
παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν,[3]

quod quidem Benfeius cum ad cenam v. 455 memoratam referat — nec vero alio referri potest — argumentatur huius mutationis causa etiam coactum esse

---

[1] Fr. IV et V M. Talis est etiam sententia πᾶς ἄφρων μαίνεται, quae in iisd. schol. ad Eun. I 1, 31 et II 2, 23 relata legitur.

[2] Neque enim mihi probatur Kampii coniectura hoc fr. ad V 2, 15 referentis, l. s. s. p. 17.

[3] Sensus et numeri laborant. Conatus emendationis vide ap. Meinek. (cf. suppl. add. p. 249) et Kock. CAF III 43.

Terentium in binos dies negotium dispertire. Mihi quidem non satis liquet quo consilio Terentius cenam pro prandio posuerit ideoque non dixerim hinc temporis mutationem pendere. Sed hanc mutationem et ipse recte excogitatam esse a Benfeio iudico. Nam Ladevicus sese in plagas impedivisse mihi videtur qui haec adfirmet: " So bestechend auch diese vermuthung auf den ersten anblick ist, fällt sie doch bei näherer prüfung in sich zusammen. Das stück des Ter. spielt am tage der (ländlichen) Dionysien, s. v. 110, und am tage darauf. Welchen tag nun sollte Menand. gewählt haben? Hat Terent. die erwähnung der Dionysien aus dem Menand. genommen, und es ist kein grund abzusehen, wesshalb er selbst diesen zusatz gemacht haben sollte, so spielte der Heaut. an diesem festtage. Dann aber hätte Chremes seinem nachbaren nicht für diesen tag seinen beistand in ihrer streitfrage versprechen können s. 498-501. „ At quis dixerit in privata lite aliquem die festo esse arbitrum non potuisse?[1] Quid autem, quod etiam postero die Dionysia erant v. 733? — Adferam praeterea duo fragmenta, quae nondum adhibita esse video. Nempe Bacchidis verbis II, 4, 1-3:

" Edepol te, mea Antiphila, laudo et fortunatam iudico,
Id *tu* quom studuisti, formae ut mores consimiles [forent,
Minimeque, ita me di ament, miror si te quisque [expetit „

---

[1] In Plaut. Poen. Aphrodisiorum die (I 1, 62, I 2, 44) duo introducuntur advocati litem diiudicantes inter Agorastoclem et Lycum lenonem (act. V).

respondet quodam modo Menandrea sententia (fr. inc. 109):

" Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμῇ τρόπος
χρηστός, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται, "

et his Pamphili IV 3, 22: " quo ore appellabo patrem?" si statum rerum expendas, comparanda fortasse censeas haec Menandrea (fr. inc. 59):

Αἰσχύνομαι τὸν πατέρα, Κλειτοφῶν, μόνον·
ἀντιβλέπειν ἐκεῖνον οὐ δυνήσομαι
ἀδικῶν, τὰ δ' ἄλλα ῥᾳδίως χειρώσομαι,

nisi quod in graeca Pamphilus non Syrum sed Clitiphonem adlocutus putandus est. Quod si recte excogitavimus, Clitipho a deambulatione prius apud Men. quam ap. Ter. (IV 6) reverti fingebatur et res paullo aliter administrabatur. Sin autem est ut hoc fragm. ad colloquium pertineat a Terentio resectum, quo Cliniam vixdum reversum ex Asia (I 2) metuque patris denuo proficisci cupientem Clitipho consiliis suis adiuverit retinueritque, tum novum habemus argumentum qualecumque est ut primaria fabulae pars (circa Menedemum filiumque ut par est potissimum versata) secundariae detrimento in brevius a Terentio contracta dicatur. — Adiciam praeterea alia prototypi indicia, quae tamen utpote incertissima pro nostra investigatione nullius ferme sunt momenti. Ad I 1, 28 referri solet Men. gn. mon. 39 Ἃ μὴ προσήκει μήτ' ἄκουε μήθ' ὅρα. Melius fortasse comparaveris gn. mon. 448

Πρᾶττε τὰ σεαυτοῦ, μὴ τὰ τῶν ἄλλων φρόνει. Tum Terentianis proverbiis II 3, 101, III 2, 10 haec graeca respondent ἐπ' ἀμφότερα καθεύδειν (CGF IV 190, cf. suppl. add. V 262) et ἀετοῦ γῆρας paroem. I 52: de prov. IV 3, 41 cf. Arrian. Anab. I 4, 8. Proverbium Menandreum ταὖτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια (CGF IV 296, cf. suppl. add. 108 et Kock. fr. 147) omisit Terentius. Possis denique cum his verbis IV 5, 48: " ius summum saepe summa est malitia „ hanc Menandream sententiam componere, fr. inc. 88:

Καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσίν· ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης φαίνεται.

Diphilea sententia (Diph. fr. inc. 36): Λύπης δὲ πάσης γίγνετ' ἰατρὸς χρόνος et Men. fr. inc. 348 (cf. Diph. fr. inc. 10): Αὐλὰς θεραπεύειν καὶ σατράπας iniuria mihi videntur ad duos Terentianos locos (III 1, 13, III 1, 43) vulgo relata. Idem dicendum etiam de aliis sententiis Menandreis, gn. m. 332 et fr. inc. 112, quae cum v. 923 et 991 comparari solent.

§ 4. — EVNVCHVS.

I. Cum ante aediles Eunuchi probatio fieret perpetuus ille Terenti obtrectator Luscius Lanuvinus

" Exclamat furem non poetam fabulam
Dedisse et nil dedisse uerborum tamen:
Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam et militis. „

De hoc loco qui pro fontium investigatione maximi est momenti mirum quantum disputatum est, Bentleio primo ni fallor difficultates excitante. Qui cum animadvertisset, si Plautus post Naevium Colacem Menandri transtulisset, potuisse se Terentium illius exemplo contra Luscium defendere, reponi iussit " Colacem esse *nempe* Plauti. „ A. Gellii testimonio N. A. III 3 fretus Grauertus[1] omnem difficultatem tolli arbitratus est, si Naevius Colacem scripsisse, Plautus eandem retractasse et expolisse putaretur. Uberius in hanc sententiam disputavit Ritschelius in Parerg. I, 99 sqq. At si numeri singularis offensio (" ueterem fabulam „ pro " ueteres fabulas „ aut " et N. et Pl. ueterem fabulam „) sic removetur, non item perspicitur cur Plauto licuerit retractare veterem fabulam, Terentio non licuerit eiusdem partem. Tum fabula Naeviana a Plauto retractata unius Plauti nomen prae se ferre debuit, non utriusque. Cum ita se res habeant cumque adeo Teuffelii coniectura (" Studien usw. „ p. 281 sq.) de mutua simul utriusque opera in unam fabulam collata nullo quod sciam antiquitatis exemplo comprobetur, acquiescendum esse censeo Bothii et Lomani (Spec. crit. p. 83) emendatione: " Colacem esse Naeui *aut* Plauti q. s. „ Quamvis autem temerarius possim Ribbeckio videri,[2] unam cum Gepperto[3] latinam extitisse Colacem coniendo, quae utri

[1] " Allg. schulz. 1828, abth. II n. 141 „ p. 1166 sqq. et analect. p. 130.
[2] Com.[2] p. 11.
[3] " N. Iahrb. f. phil. „ XIX 274. Qui tamen perverse facit, quod verba " sed eas fabulas „ v. 33 in subsidium vocat, spreta Ritschelii palmaria emendatione " eas ab aliis. „

poetae attribuenda esset antiquitus ambigeretur. Nam, si duae extitissent, Luscius certe aut Naevianam solam aut solam Plautinam nominavisset: poterat enim Terentius de alterutra transtulisse videri, non de utraque! Tum, si quid video, sensus postularet " Naeui *uel* Plauti.[1] „ Ceterum satis constat post Plauti mortem continuo de ipsius fabulis ambigi coeptum esse:[2] nonnullas promiscue Naevi et Plauti nominibus commemorari:[3] Carbonariam quidem Naevio simul et Plauto tribui a Prisciano.[4] Nihil igitur mirum quod et Naeui et Plauti Colax apud grammaticos, utraque autem apud Nonium, laudata inveniatur.[5]

---

[1] Nisi forte v. d. sic intellegit " [Eunuchum] Colacem esse N. aut P. q. s. „ quae Teuffelii quoque interpretatio fuit, totius loci tenore improbata. Nam incitata oratio, quam Teuffelius desiderat post v. 23-24, a re aliena est. Terentius enim graphice lepideque eo modo proloquentem fecit Luscium ut qui magno conatu magnas nugas dicturus esset (cf. " et nil dedisse uerborum tamen! „), postea vero quo modo se res haberent simpliciter aperientem quasi hoc sufficeret ad obruendum ignominia poetam.

[2] Macr. sat. II 1, 11.

[3] Aulularia, Carbonaria, Nervolaria.

[4] GLK. II 522, 9; 516, 11.

[5] Nec profecto temere est quod Luscius addere fingitur " ueterem fabulam, „ ut sit " parum refert utrius proprie sit: certe vetus est i. e. iam actitata. „ Hoc enim tantum urgere voluit Luscius, ne fabula pro nova ab aedilibus emeretur. — Accedit quod si de duabus fabulis cogitetur difficultas recurrit a Bentleio monstrata. Nam altera post alteram scribi nimirum debuit. — Ad latinam autem Colacem quod attinet, temere mihi videtur Kampius fr. II et IV R. Chaereae tribuisse (V 2, 5). Nam si Chaerea quoque Naevianus (aut Plautinus) cum Terentiano consessisset, non de militis tantum et parasiti personis locutus esset Luscius. — Quod denique primam Plautinae M. glor. scaenam et ipsam e Colace manasse Becker opinatur " De comicis Romanor. fabulis „ Lipsiae 1837 p. 82 (Ritschelius vero e Diphili Αἰρησιτείχης), id nimis lubricis nititur coniecturis. Cf. Teuffel. mus. rhen. VIII p. 34 sqq.

Meritone an iniuria accusatus fuerit Terentius difficile est diiudicatu: hoc vero licet e prologi verbis inferre, ipsius fabulam non ad verbum cum Naeviana aut Plautina consensisse. Nam neque hoc crimen multo gravius silentio pressisset adversarius, ut Braunus animadvertit, et mendax facile deprehensus esset poeta qui latinam se non nosse defenderet. Tum, quo ore dixisset " quod si personis isdem q. s. „ prol. v. 35 sqq., quando suo iure respondere potuit adversarius: personis quidem licet, at non isdem uti verbis. Quod enim studuit poeta comicam sibi libertatem in personis effingendis vindicare — quam tamen non videtur Luscius ei negasse, — id ostendit, arbitror, Terentium latinae fabulae vestigia non presse secutum esse. Alias praeter militis et parasiti personas e Men. Colace translatas esse a Terentio quas prior comicus latinus integras reliquisset aut transferendo penitus immutavisset, haud equidem putaverim: hoc enim novum fuit Terentio argumentum quo se de furti crimine aliquo modo purgaret, si non consulto duas illas tantum personas quae iam latinae factae essent, sed quascumque sibi usui esse credidisset in suam rem se convertisse fateretur, securus essentne annon ab aliis iam prolatae. Quam ob rem falsus est Ihnius qui Chremetis personam partim e Men. Calace partim ex Eunucho in Terentianam fluxisse censeat l. s. s. p. 19 sqq.; eademque ratione Brauni opinio iam nunc mihi repudianda videtur qui Antiphonis personam ex qualibet alia aut Menandri ipsius aut cuiuscumque graeci poetae fabula sumptam esse defendat l. s. s. p. 26. Namque Lusci incusationem haud parum de-

bilitaturus erat Terentius, si non e Colace solum sed e qualibet graeca fabula se ea sumpsisse confessus esset quae convenirent: neque igitur se illa sola data opera hausisse quae latina iam facta essent, laboremque ideo interpretandi concinnandique rem romano spectatori sibi imminuerent. Militis ergo et parasiti personae e Men. Colace solae fluxisse censendae sunt.[1]

II. Cum alia tum nomina personarum mutavisse Terentium discimus ex his Persii verbis Men. Eunuchi exordium convertentis sat. V 161 sqq.:

" Daue, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor — crudum Chaerestratus unguem
Adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscaenum frangam, dum Chrysidis udas[2]

---

[1] Quod Sangae personam non nominaverit Luscius, quae quidem et de Colace procul dubio manavit et apud Naevium quoque aut Pl. fuit, quem illud de peniculo dictum IV 7, 8 omisisse veri simile non est, id sententiam nostram non infirmat, sed hoc tantum demonstrat illud duntaxat Sangae dicterium, non totam illius personam latius in graeca patentem translatam esse a Terentio. Partes enim Sangae multo longiores ap. Menandrum fuisse argumento sunt vel coqui illius verba festo Veneris sacrificantis Athen. XIV 659 d, cui respondet Terentianus Sanga coquus et ipse.

[1] Quid sibi velint " udae Chrysidis fores „ non adsequor. Nam scholiastae interpretatio " udas fores dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante ianuam earum noctem uigiliis et cantu transigere „ haud pluris oppido valet quam quod in libro nuper edito scriptum reperio id propter pluviam dictum esse: cuius auctor in saltu uno ut aiunt duos cepit apros, cum ei contigerit eadem opera etiam illud " extincta cum face „ explicare. Nec plus promovet Casaubonus haec adnotans: " Cur autem Persius *udas* appellet fores, docent Graeci poetae ac Latini, qui multiplicem iuuenum insaniam in suffundendis illis modo uino modo aqua in cardinibus modo lachrimis passim comme-

Ebrius ante fores extincta cum face canto?
— Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen, plorabit, Daue, relicta?
— Nugaris; solea, puer, obiurgabere rubra;
Ne trepidare uelis atque artos rodere casses.
Nunc ferus et uiolens, at si uocet, *haud mora,* dicas,
Quidnam igitur faciam? nec nunc, cum accersat et ultro
Supplicet, accedam? si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc. [1] „

Priora usque ad " dicas „ resecuit Terentius et pone insequentia Phaedriae (Chaerestrato) demandavit. Neque enim eis adsentior qui etiam apud Persium verba " Quidnam - accedam? „ v. 172-73 Chaerestrato tribuunt (sic etiam est in Iahnii et Buecheleri edit.): quod si statuas, profecto nescias cur nondum a me-

morant. nec male referas ad lenarum anuum potationes, de quibus fuse Plautus ea quam diximus scaena [Curc. I 3] „ Vellem equidem v. d. exempla attulisset: nam quod ad Curc. 158 sqq. attinet, alia prorsus res est. Reponendum esse censeo " Chrysidi surdas. „ Cf. Ov. am. 1, 6, 62 " foribus surdior ipse tuis, „ Mart. 10, 13, 8 " ianua surda, „ Ov. fast. V 337 " Ebrius ad *durum* formosae limen amicae Cantat q. s. „ Tum " non amici postes „ et " limina dura „ habet locus Horatianus carm. XI 21 sq. qui Persio occurrisse putatur et " asperae fores „ commemorantur in noto illo παρακλαυσιθύρῳ Horatiano od. III 10. Metri causa errorem ortum esse opinor. Illud autem " extincta cum face „ quorsum spectet docet fortasse Tibullus 1, 9, 41 cl. 1, 2, 33: nisi forte mavis de productis vel super facis extinctionem vigilia et cantu cogitare.

[1] Haec omnia ut de Men. Eunucho conversa censeas non est quod Persii scholiasta teste utare, ut vulgo fit: nam res ipsa loquitur. Nec plus ille quam quod nos de Menandrea fabula scire debuit qui haec adfirmet " — idemque (Chaerestratus) tamen ab ea reuocatus ad illam redit. „ Quod quidem de Phaedria Terentiano recte dici potuit, non de Chaerestrato Menandreo, qui revocatus nondum est.

retrice revocatus adulescens (“ at si uocet „ v. 171) dicat se accersitum ab ea et ultro supplicatum esse. Sunt igitur ea verba Davo tribuenda adulescentis orationem imitanti. Nec sine causa est quod Terentius et haec a Phaedria ipso pronuntiari voluit et priora resecuit. Chaerestratus enim ap. Pers. de rivali sibi obiecto ne suspicari quidem videtur, sed de sola Chrysidis aviditate queritur: at hoc capital erat ap. Ter. ut rivalis amatoris adventus aliunde adsciti praepararetur ideoque non de argento sollicitus sed zelotypia vexatus ostenderetur adulescens. Quam ob rem de meretricis aviditate ne verbum quidem facit Phaedria, sed exclusionem tantum et meretricis contumelias gravatur. (Verba “ an potius - obsecret „ I, 1, 2-4 [cf. I, 2, 10] non habet Persius: ea quidem leguntur ap. Horat. II, 3, 263, sed Horatius non Menandrum sed Terentium ante oculos habuit, ut media luce apparet). Aliter vero apud Menandrum: nam si hos fabulae locos reputaveris I 1, 33, I 2, 43, V 4, 5 et avari patris adulescentis V 5, 15 diuturnum ap. Men. in meretrices odium Don. ad V 5, 30 et meretricis nomen Χρυσίς,[1] haud forsan a vero longe aberraveris, si pecuniae causa in Men. Eun. litem inter Chrysidem et Chaerestratum ortam esse statueris, ob eamque rem adulescentem exclusum esse quod argentum suppedi-

[1] Sive ita dicta censetur quod nimis auri avida fuerit sive quod nimis sumptuosa sive quod splendidis induta vestibus in scaenam prodierit (Poll. IV 152, 20: ἡ δὲ διάχρυσος ἑταῖρα πολὺν ἔχει τὸν χρυσὸν ἐπὶ τῇ κόμῃ), res eodam recidit. Eadem ambiguitas est in verbis “ Thais pretiosa „ ap. Prop. IV 5, 44.

tare nequiret, simul etiam quod natura paullo litigiosior esset.[1]

Prima rivalis militis mentio i. e. personae aliunde accersitae in Thaidis et Phaedriae colloquio I 2 invenitur: videamus igitur sitne in eo aliquid quod cum reliqua fabula minus cohaereat ant contra decori leges quodam modo peccet. Quod Chaerea adulescens in Men. Eun. Pamphilam vitiaverit eunuchi veste indutus, hoc nihil causae est cur in dubium revocetur — totius enim fabulae argumentum circa hoc factum versabatur; — illud quoque facile concesseris Pamphilam etiam ap. Men. ingenuam fuisse cum ob alia multa tum ob Menandri consuetudinem vitiatarum virginum probra matrimonio semper cohonestantis:[2] quod quidem ut constat nisi inter cives rite fieri non poterat. Quae cum ita sint nequeo mirari satis quod Parmeno servus, qui Pamphilam civem esse probe nosset quippe qui Phaedriae et meretricis colloquio interfuisset, erili filio vitiandae virginis auctor fuerit atque adeo viam ad hoc munierit, quamquam eum quidem ignorare quae istius modi facinori poena parata esset haud sane veri simile putandum est. Neque est cur dicas meretricem dubitative de ingenuitate puellae locutam esse I 2, 30: nam vel iniecta servo suspicio

---

[1] Id quoque ex nominis etymologia duco: ἀπὸ τοῦ στρατῷ χαίρειν. Cf. in Plauti Truc. " Stratullax „ [Στρατύλλαξ], quod nomen est servi violentissimi pariterque litigiosissimi, Στράτιος nomen parasiti ap. Alexid. patri suo irati (CGF III 476 fr. 2). Compositis quoque verbis Νικοστράτη vel Ναυσιστράτη matrona potens significatur et amara viro, cf. Philem. fr. inc. 44 et Ter. Phorm.

[2] Plut. quaest. conv. VII 8, 3: αἱ φθοραὶ τῶν παρθένων (ap. Men.) εἰς γάμον ἐπιεικῶς καταστρέφουσιν.

satis esse debuit ut cautiorem faceret; tum, quod etiam admirabilius est, ubi Parmeno comperit ex Pythia civem esse Pamphilam, Thaidis verborum nihil prorsus meminit satisque habet dicere " id nesciebam „ V 4, 31. Equidem arbitror Parmenonem in Eun. Men. ignorasse de quanam puella meretrix locuta esset, hanc autem non fuisse de ingenuitate puellae perplexe locutam, cum e quibusdam locis ad Men. Eun. sine dubio spectantibus manifesto appareat meretricem probe nosse, cuius puella soror esset. Nam et IV 1, 3 Dorias Chremetem aperte dicit virginis fratrem, — quod quidem si non ignorabat serva, qui poterat domina? — et IV 6, 7 Thais haec ait Chremeti: " dum tibi sororem studeo reddere ac restituere q. s., „ quamvis aliunde non constet hoc certioribus indiciis compertum habuisse meretricem. Ad Terentianam igitur componendi artem ea rettulerim quae Don. adnotat ad I 2, 30: " bene *arbitror, nihil certi:* quando enim ausurus esset Parmeno adornare Chaeream ad uitiandam hanc uirginem, si praescisset ciuem esse? „ Nempe illud " arbitror, certum non scimus „ Terentiana additamenta existimo oeconomiae gratia interposita et a Thaide idcirco pronuntiata quo veri similius fieret Parmenonem vitiandae virginis consilium dare. Quod quidem ut credam suadet et ipsius Donati schol. ad I 2, 6: " optime purgauit Terentius quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si uitiatam uirginem duceret Chaerea. necessario ergo defenditur tamquam quae honeste nuptura est. „ Quo tandem loco non est cur " Terentius „ pro " poeta „ in universum arbitremur positum, siquidem cum Chaereae nuptiis, quae

ex Men. Eun. sunt, locum quem explanat e Colace derivatum [1] conglutinat Donatus. In eodem colloquio meretrix ait velle se cognatis reddere Pamphilam ut amicos paret beneficio suo quippe quae neque amicos ipsa neque cognatos Athenis habeat I 2, 6 sqq. Haec cum dicit Thais ad Chremetem nimirum respicit: sed hocine credibile Thaidem timidi illius et fatui adulescentuli pluris quam Phaedriae ipsius amicitiam fecisse, [2] cum praesertim ut erat rusticus Sunii plerumque degeret minimoque propterea meretrici adiumento esset? At Chremes Terentianus non parum distare a Menandreo mihi videtur. Multa quidem in hac persona mutata esse eo etiam evincitur quod Chremes per totam fere serpat fabulam nec solis de Eunucho sed etiam sumptis de Colace partibus implicetur seque adeo et rusticum et pavidum et plumbeum eis plerumque locis praebeat qui aut ad convivium Thaidis et Thrasonis III 3, 25 aut ad Thaidis domus oppugnationem pertineant sintque ideo aut de Colace sublati aut a Terentio additi coagmentandi causa. Quodsi de Colace accessisset tam accurate artificioseque exculpta persona, censen Luscium tacere aut Terentium potuisse? Certum est igitur Chremetem de Men. Eunucho manasse, eundem vero a Terentio paullo aliter depictum esse. Quodsi posset certo adseri huius saltem personae nomen non mutatum esse a Terentio. hinc certa ratione efficeretur Chremetem non fuisse ap. Men. adulescentem: nam in

---

[1] Quippe qui ad puellam spectet a milite, Colacis persona, donatam.

[2] Nam Chremetis parentes iam mortui erant II 3, 11-12.

nova comoedia Χρέμης constanter nomen senis est divitis plerumque et avari.[1] A Donato nihil certi discimus; nam quae profert de Chremetis persona perabsurda sunt. “ Haec persona „ inquit ad III 1, 1 “ apud Menandrum adulescentis rustici est et inconsequens oratio est. „ E quibus verbis, si quam ea opportunitatem habere censenda sunt, colligeretur neque Chremetem apud Terentium adulescentem rusticum neque eius orationem inconsequentem esse. Sed contrarium fit: nam et Terentianus Chremes rusticus adulescens est et Donatus porro docet quo modo verba disponere debuisset Chremes ut consequens esset eius oratio.[2] Donati verbis hanc inesse vim credidit Grauertus l. s. s. p. 156 ut scholiasta eo poetas dissentire diceret quod Chremes ap. Men. ruri adsidue esset, ap. Ter. vero quamvis Sunii rus haberet saepius tamen in urbe degeret. Quod si ita esset, inde efficeretur Chremetem Donati iudicio rusticum non esse ap. Ter. Sed neque omnino patet quibus nisus argumentis haec

---

[1] Χρέμης ἀπὸ τοῦ χρέμπτεσθαι. Cf. Spengel. And.[2] p. XIV *einleit.* § 4, Dziatzko. Phorm[2]. p. 50, cl. Phorm. v. 575, Horat. epod. 1, 33, sat. I 10, 40. Alciphro epist. III 3 memorat δανειστὴν Χρέμητα πρεσβύτην φιλοκερδῆ. Χρέμης et Φείδων, avari et hoc nomen, simul commemorantur ab Athen. VI p. 222 a.

[2] Don. ibid. “ — et inconsequens oratio est. sed conceditur secum loquentibus multa transcendere quae taciti intellegunt. est enim integrum hoc modo *Profecto q. m. m. cogito nim. int.* „ et ad v. 2 “ Solue *nimirum* et fac *non est mirum* et statim consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia q. s. „ Perversissime igitur et Grauertus l. l. et Braunus l. s. s. p. 36 verbis “ et inconsequens oratio est „ arbitrati sunt significari in Chremetem ea quae Chremes loquitur non quadrare. At quadrat quam maxime in rusticum et adulescentem oratio non omnibus dialecticis numeris absoluta nec certo sententiarum nexu adstricta, quam significavit Donatus.

omnia adfirmet Grauertus et adversarium habet Donatum ipsum qui saepenumero adnotat Terentianum Chremetem rusticum esse: ad III 3, 25, IV 5, 10, IV 6, 7 et 17. Sic igitur se res habet: Chremes Terentianus a Menandreo sine ulla dubitatione diversus est; qualis apud Men. fuerit non constat; sed, quantum conici potest, non videtur stultus adulescentulus fuisse. Ex nominis quidem etymologia senem ap. Men. fuisse colligitur. Quod si censemus, multa perspicua fiunt quae nunc obscura sunt. Hinc enim explicatur cur eius amicitiam tanti fecerit meretrix itemque cur senis persona parum idonea visa sit Terentio quae militi opponeretur i. e. personae de Colace sublatae, eamque ideo poeta immutaverit. Tum sensus totius scaenae tertiae act. III, quae de gr. Eun. parum mutata accessise videtur, melius in avarum religiosumque senem quadrat meretricios amores aspernantem quam in adulescentulum quantumvis rusticum. Postremo si Donati scholium mancum est, — nec vero aliter censeri potest, — quoniam quae de Chremete Menandreo praedicat Donatus ea Terentiani propria sunt, in propatulo est scholiastam his contraria Menandreo Chremeti tribuisse: sin aliter nihil erat cur scholium scriberet. Quia vero si censemus rusticitati Terentianae personae urbanitatem Menandreae oppositam esse, non intellegitur cur hanc mutationem admiserit Terentius, fatendum est non rusticitati sed aetati tantummodo Chremetis Terentiani aetatem Menandrei potuisse opponi: " adulescenti " autem commode opponitur " senex. " Quam quidem mutationem idcirco factam esse diximus quo veri similior fieret Thraso-

nis zelotypia.[1] His omnibus pensitatis, Menandreum Chremetem re vera senem fuisse arbitror. Quae quidem opinio si recta est et militis causa personam Chremetis mutavit Terentius, inde efficitur militis personam uni Colaci deberi ideoque etiam personam parasiti; huius modi autem personas Menandreae Eunucho prorsus defuisse. Confirmatur id eis quae de actorum numero in nova Graecorum comoedia supra disputavimus p. 11-12. Nec vero facile intellegitur, si militis et parasiti personae etiam in gr. Eun. fuissent, cur totas integrasque e Colace adsciscere maluerit Terentius, nulla causa prohibente quo minus sententias aliquas aut argutias, quibus utriusque persona artificiosius depingeretur, congruentibus in Eunucho militis et parasiti personis tribueret.[2]

Sed quoniam meretrici quoquo modo donanda erat puella quam Chaerea contaminaret, rus abigendus Phaedria quo commodius id fieret, meretrix de scaena amovenda eadem de causa, quaeritur qua tandem ratione haec omnia sine rivali milite eiusque parasito transigi potuerint in gr. Eunucho. Omnes difficultates

---

[1] Vide num quid post " Menandrum „ exciderit ut " senis, hic. „ Cf. eiusdem generis lacunam in Don. adnot. ad IV 7, 13: " Hoc totum quasi in palliata, sed concessum poetis fuit, „ quam Boettiger Spec. Ter. p. 264 admodum probabili coniectura sic explevit " quasi [in togata, non] in palliata. „

[2] Obnixe contendit Ihnius has personas etiam in Men. Eun. necessarias fuisse. Sed quo modo, his etiam personis deficientibus, oeconomia fabulae per se ipsa stare potuerit progressa disputatio docebit. Quae vero Ihnius argumentatur de iteratis fabularum argumentis ap. Graecos comicos — id ratus confirmari similium titulorum multitudine, — ut magnam inter Colacem et Eunuchum gr. similitudinem intercessisse defendat, vaga

facile removentur, si res ita ap. Men. gestae esse fingantur, ut puella aut iam pridem a nescio quo amatore meretrici donata aut iam inde a parvula apud Thaidem commorata sit eadem illa ratione qua apud huius matrem parvula fuisse fertur I 2, 28 sqq. et Phaedria rus missus sit ne huius zelotypia crebris meretricis senisque Chremetis colloquiis satis superque excitata Thaidis consilia perturbaret. Tot denique causae esse potuerunt quae meretricem parumper domo arcerent etiam praeter convivium, ut eis definiendis morandum non sit. Quae quidem omnia non suspensa haerere sed e fabulae ratione rite derivata esse melius infra apparebit: nunc paucula de Chaerea praemonenda sunt.

Chaerea II 2, 59 fingitur commeare in urbem ex Piraeo ubi publice custos est et V 1, 10 " ephebus „ dicitur: alibi vero, IV 4, 26, sedecim annos natus perhibetur. Haec pugnant inter se: ut enim aliquis publici custodis munere in Piraeo fungeretur i. e. περίπολος esset, eum civilem ingressum esse ephebiam oportuit. Nam ephebiae gradus, ut constat, duo fuerunt, naturalis et civilis, quorum alter ineunte

---

admodum et lubrica mihi videntur, cum eidem qui feruntur comoediarum tituli non semper de eisdem argumentis fidem faciant, nedum de eisdem personis. Cuius rei testes sunt Θησαυρός Menandri (CGF IV 136) et Philemonis (Pl. Trin.), utriusque Φάσμα (CGF IV 218 et Pl. Most.), Ἀδελφοί α′ et β′ Menandri (Pl. Stich. et Ter. Ad.): ne discordantia omonymarum fabularum fragmenta commemorem. Etiamsi igitur fabula Diphili extiterit (Αἱρησιτείχης) cuius editio altera (διασκευή) Εὐνοῦχος ἢ Σρατιώτης inscriberetur (Mein. hist. crit. p. 451), non necessario inde colligi videtur etiam in Men. Eun. militem fuisse aut denique, si fuit, in scaenam prodisse.

sexto decimo, alter ineunte duodevicesimo anno ordiebatur.[1] At Chaerea sedecim tantum annos natus[2] nec dum etiam naturalem egressus ephebiam περίπολος esse nullo pacto poterat. Terentius vaga ephebiae notitia imbutus exeuntem pueritiam ephebiam vocavisse Boeckhio videtur:[3] quod si ita est, facile perspicitur quo modo poeta ephebiae gradus miscere potuerit. Nec vero Terentius videtur omnes graecae vitae recessus cognovisse, siquidem Suetonius de eo narravit: " causa euitandae opinionis qua uidebatur aliena pro suis edere seu *percipiendi Graecorum instituta moresque* quos perinde exprimeret in scriptis[4] egressus urbem est neque amplius rediit. „ At quoniam huius modi errorem Menandrum admisisse inauditum foret, quaeritur utrum Chaerea ap. Men. sedicim annos natus fuerit an custos publicus in Piraeo i. e. duodevicesimum annum ingressus. Equidem non dubito quin adulescens naturalem tantum ingressus ephebiam sc. sedecim annos natus ap. Men. fuerit his de causis: primum quod non perspiciatur quo consilio Terentius adulescentis aetatem mutaverit eumque iuniorem fecerit, tum quod in Pamphila initium amandi fecisse dicatur adulescens v. 299, 308 sqq., quamvis ad amo-

---

[1] Boechk. " De epheb. att. „ dissertationes duae in " Gesamm. kl. schrift. „ Lipsiae 1874, vol. IV p. 137-157.

[2] Neque est cur dicas adulescentis aetatem l. l. Pythiam coniecisse tantum ideoque ad verbum ea quae ipsa pronuntiat accipienda non esse: cur enim eam conicientem fecisset Terentius quae vera non essent? — Ita etiam de Pamphila v. v. 318, sed cf. v. 526.

[3] l. s. s. p. 149 sq.

[4] Sive etiam apertius cum cod. A (Paris. 7920) " quos *non* perinde. „

res propensus quam maxime et ipse natura fingatur, deinde quod adulescens vixdum pubertatem ingressus facilius pro eunucho probet quam qui aetate provectior sit, ipso iudice Parmenone v. 375, postremo quod ad II 2, 58 Donatus adnotet: " Non potest Terentius τρόφιμον proprie dicere [sc. Chaeream] et ideo erilem filium dicit. „ Unde colligitur τρόφιμον appellatum esse Chaeream in gr. Eunucho, eundem vero nequivisse latine " alumnum „ appellari quippe qui ut publicus in Piraeo custos magistro vel paedagogo non iam uteretur.[1] — Si quis autem anquirat cur Terentius Chaeream in Piraeo custodem finxerit, e Donati scholiis passim colligitur id factum esse, ne cui mirum videretur, quod Thaidem adulescens non cognosceret. Ad hoc etiam vicinitatem meretricis *recentem* finxisse Terentium censeo idque ex Don. ad II 3, 68 colligo: " nimio lepore Terentiano iam illud agitur. nam hic ostenditur ueri simile esse pro eunucho creditum apud uicinam meretricem Chaeream, qui adeo ignotus sit mulieri ut nec ipse eam nouerit, quod erat facilius et promptius. et additur color, quod

---

[1] Etiam in Phormionis prototypo τρόφιμος appellabatur Antipho, Don. ad Phorm. I 1, 5. At de Antiphone certo scimus vere alumnum fuisse Getae et hunc magistrum (παιδαγωγόν) relictum esse adulescentulo, I 2, 21-22, cf. Don. ibid. Cf. etiam Pl. Merc. v. 91 sqq. — Quae vero scholio memorato (ad Phorm. I 2, 21) adiecta inveniuntur: " haud scio an Latini quoque *alumnum* dicere potuerint, nisi hoc *(sc. erilem filium dicere)* mallent, „ profecto nihili sunt: nam et haec dubitatio absurda est (cf. Pl. Merc. v. 822) et Donatus sine ambagibus iam dixerat " *non potest* Ter. q. s.: „ id quod perabsurdum esset si de vocabuli versione ageretur. Ea verba fortasse male diligenti grammatico debentur prioris adnotationis memoriam non opportune excitanti.

et illa *non diu* uicina est et quod adulescens *plurimum in Piraeo commoratus sit.* „ Ubi quoniam addicticium Chaereae in Piraeo munus et meretricis *recens* vicinitas una commemorantur, proximum est ut etiam meretricis vicinitas *recens* a Terentio ficta sit. Quodsi reputaveris simul meretricem " haud diu „ vicinam Phaedriae fuisse II 3, 68, Phaedriam igitur haud diu illius amore captum, tum vero probabilius hoc fit: nam ap. Men. " iam pridem „ adulescentem a meretrice corruptum fuisse testatur Donatus ad V 5, 30; ergo iam pridem eius vicina erat meretrix in Men. Eun. Rebus sic constitutis, sequitur ut Pamphilae deductio quae Chaereae advenientis gratia fit uni Terentio vindicetur eoque conficta dicatur ut Gnathonis persona aliunde accersita argumento implicaretur. At si puella in gr. Eun. non primum hoc loco in scaenam prodibat, illud veri similius fit quod supra coniecimus, eam non a milite donatam sed iam antea apud meretricem fuisse et Chaeream alia quadam ratione in illius amorem incidisse. Supra etiam ostendimus p. 84 Thaidem in Men. Eun. fuisse de ingenuitate Pamphilae coram servo I 2 sine ambagibus locutam, Terentium vero in colloquio illo nonnulla ad mutatam fabulae conditionem accommodasse: hoc non temere coniectum esse eo etiam probatur quod ex hac sola scaena II 3 conspicitur puellam Parmenoni notam esse, verum tamen ex huius consilio agere Chaeream. At cum deductio puellae in Men. Eun. non fieret, neque illam conspicari potuit Parmeno neque scire num ea ipsa esset de qua meretrix verbum fecisset. — Cum Chaereae in Piraeo mansione arte coniunctus

est Antiphonis adventus III 4: quam quia a Terentio additam esse supra docuimus, [1] haec quoque persona Terentio tribuenda esse videtur. Et Donatus quidem ad III 4, 1 adnotat: " bene inuenta persona est [*sc. Antiphonis*] cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur ut apud Menandrum. „ Sed adeo pervulgatum inveteratumque est Terentium summum poetam habere, eundem vero ad viginti aut triginta versus de suo scribendos ineptum putare, ut haec Donati adnotatio miris modis a criticis vexata sit unum Grauertum refutantibus qui hanc personam uni Terentio adiudicaverit. Ante Grauertum Benfeius in sua translat. germ. p. 537 illud " ap. Men. „ ad totam sententiam rettulerat ab Ihnio l. s. s. p. 22 merito reprehensus; Ihnius vero more consueto verba " ap. Men. „ inepto interpolatori attribuit p. 20 sqq. Benfeio adsensi sunt Kampius l. s. s. p. 12 et Teuffelius l. s. s. p. 282, qui quidem etiam adfirmavit necessarium in graeca Antiphonem fuisse in cuius domo vestes eunuchi exueret Chaerea. Braunus ita a Terentio *inventam* hanc personam dixit ut " ex qualibet aut Menandri aut cuiuscumque poetae fabula „ mutuatus suae addiderit. At Benfeii interpretatio, quam structura respuit grammatica, eo etiam claudicat quod Donatus sicubi latina fabula et graeca consenserunt numquam adnotavit, nisi ubi explanandi causa graeca

---

[1] Nec vero fieri potuisse nego ut Terentius aliquam περιπόλου personam, quae vel in Colace fuerit, ante oculos habuerit: non ita tamen ut totam personam in Terentianam fabulam migravisse dicam, sed figmentum de publici custodis munere tantum.

verba attulit. Praeterea autem nego opus fuisse Chaereae vestes exuere (cf. V 2, 1 et schol.), et ad fabulae oeconomiam, i. e. ut Chaerea de scaena amoveretur, satis erat si diceret adulescens velle se in proximi amici domum exutum concedere. Brauni opinionem supra perstrinximus p. 79 sq.: nec vero adeo pauper censeri debet Terentius ut nihil in palliata fabula de suo confingere potuerit quod mere graecum resiperet. At nihil causae est cur Donati scholium reiciatur. Antiphonis autem persona non eo solum a Terentio inducta esse videtur ne Chaerea, ut Donatus ait, unus diu loqueretur, sed etiam ut Doriadi tempus esset, monologo Antiphonis eiusque cum Chaerea colloquio interpositis, et deducendi ad Thaidem Chremetem et videndi in convivio omnia quae postea narratura esset, et postremo redeundi. Cum vero Menandreae Eunucho convivium deesset, ibi nulla producendi temporis causa fuit. — Duo in hac fabula commemorantur convivia, alterum ap. militem, alterum in Piraeo, illud de Colace sumptum,[1] hoc a Terentio inventum. Nonne tibi videtur Ovidius cum dicat Terentium convivam habendum fuisse si auctoris vitae iudicium esset liber trist. 2, 321, ad hanc Terentianam fabulam respexis-

[1] Paene similis narratio de convivio et lite inter militem rusticumque adulescentem orta legitur apud Lucian. dial. mer. XV v. III p. 322-25. An Lucianus in memoria habuit Men. Colacem? Hoc si sit, possis inde inferre Chremetem factum esse a Terentio rusticum adulescentem ad instar similis personae in Men. Col., sicut etiam Chaeream publicum in Piraeo custodem fictum esse ad Menandreae Colacis exemplum supra suspicati sumus p. 93 adnot. Tum magis Eunuchus graeca ad Colacem quam Colax ad Eunuchum accommodata fuit a poeta.

se?[1] Qui quidem quoniam Terentium seorsum a Menandro nominat l. l. 327, videtur eos locos ubi convivia memorantur et ipse uni Terentio sive aliunde haurienti sive de suo confingenti tribuisse.

III. Satis iam de personis singulis: nunc ad ordinem nexumque totius fabulae properemus. Actus primus, exceptis in scaena secunda eis quae ad praeparandum adventum militis adiecta esse supra docuimus, totus ex graeco exemplari fluxisse videtur: exordium vero in brevius coegit poeta (cf. C. O. Mueller. hist. litt. graec. II 276) eaque resecuit, quae sibi e re non esse sensit. Ad I 1, 1 rettulit Donatus Men. verba εἶτα τί ποιήσω; fr. I et ad I 1, 32 pertinet fr. II:

Μὴ θεομάχει μηδὲ προσάγου τῷ τράγματι
χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε.[2]

Ad I 1, 12-13 rettulerim quamvis dubitanter hoc fragm. quod in Men. incertis fertur (196):

Μόνος ἐστ' ἀπαρηγόρητον ἀνθρώποις ἔρως.

Rus concedit Chaerestratus amicae obsecutus verenti ne fervidus adulescens falsis suspicionibus imbutus in Chremetem invehatur negotiumque turbet iam institutum. Qui quidem antequam abeat, Davo com-

---

[1] Convivia vel cenae quae memorantur vel subaudiuntur his locis Heaut. 206, 455, 733, Ad. 26, 783, 863, 965 adeo involute obiterque proferuntur ut Ovidio occurrisse nequeant.

[2] Χειμῶνας scite vertit Terentius " molestias ": nam et χειμάζειν et ἐπιχειμάζειν Menander dixisse traditur pro ἐνοχλεῖν et λυπεῖν. CGF IV 128 fr. 6, 192 fr. 4 v. 7.

mittit ut eunuchum et aethiopiam ancillulam tempus opportunum nactus ad Chrysidem deducat II 1,1-21. Aemulus amator quem suspicatur adulescens II 1, 8 non miles sed senex Chremes forsitan fuerit ap. Men.; utque Terentium novo in graecis fabulis convertendis artificio usum, quae alterius ap. Men. personae (Davi-Parmenonis) verba erant, ea alteri (Chaerestrato-Phaedriae) tribuisse vidimus, ita hoc loco, quae ap. Men. Chremetem respicerent, ea ad Thrasonis personam translata dixerim. Quae subinde insecuntur ea maxima ex parte de Colace sublata sunt et paucula quae hic illic interponit Parmeno a Terentio inventa, cuius mos est " longae orationi interloquia[1] quaedam adhibere ut fastidium prolixitatis euitet „ Don. ad II 2,23: cf. eund. ad III 4,1, V 8,4. Ceterum Parmenonis verba aliquid satiricum et mere romanum redolere etiam Brauno videntur l. s. s. p. 32 sq.[2] Congressus Davi (Parmenonis) et Chaereae, etsi alia quadam ratione, fieri certe debuit etiam in gr. Eun., ut ex scholio colligitur ad II 2, 58, unde erilem filium advenientem τρόφιμον dictum esse a servo discimus.[3] Quae vero porro III 1,45 sqq. Thrasoni praecipit Gnatho ad

---

[1] De hoc aliisque vocabulis unius Donati propriis ut " tardiloquium, praesuppono, respective, virtuose „ cet., quae in lexicis non feruntur, vide *Minton Warren* in *Johns Hopkins university circulars, Baltimore, may* 1882, n. 15, p. 205.

[2] Parmeno ea re diu in scaena retinetur ut proficiscentem videat Thaidem cum milite. At in graeca aliquid fortasse et ipse egit; nam tam diu in scaena eum manere ut rerum spectator tantum sit a scaenica Graecorum consuetudine alienum est, qui non necessarias personas a scaena removere consuerunt ut per quinque actores fabula peragi posset.

[3] Cf. Don. ad And. 602, ad Phorm. 39 et CGF IV 300 fr. 312.

Eunuchi oeconomiam pertinent ideoque sine ulla dubitatione uni Terentio debentur: id quod etiam Donatus adumbrare videtur his verbis (ad III 1, 50): " hic magna οἰκονομία est qua Terentius praeparat quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque[1] per duas partes serpat fabulae.[2] „ Post meretricis profectionem, cuius causa quae fuerit ap. Men. in obscuro est, Chremes in scaenam prodit III 3: quem quidem quo miserit Pythias, convivio in Men. Eun. deficiente, non liquet. Utut vero est, Chaerea per huius colloquii tempus virginem vitiasse putari potest egressusque postea ea solus in scaena pronuntiasse quae III 5 leguntur.[3] Phaedriae (Chaerestrati) adventus IV 2 potest Chaereae aufugiendi causa fuisse: neque enim mirum est quod fratrem cogitabundum Chaerea fugiens latuerit.[4] — Reversus ante tempus rure Chaerestratus facinus comperit fratris IV 3, IV 4: ad IV 4, 21 servavit Donatus Men. fr.

---

[1] Libri addunt " et Gnathonem, „ quae interpolatio manifesta est.

[2] Duae fabulae partes, sc. altera de Colace, altera de Eunucho derivata. Ut iurgium praestrueret, quod Chremes adveniens in convivium excitaturus erat, — quae pars est de Colace sublata — finxit Terentius illud Phaedriae causa oriturum esse, ideoque huic parti fabulae de Eun. gr. derivatae iurgii mentionem innexuit quod ab ea alienum erat. Cf. schol. ad And. II 1, 1 ubi " altera pars fabulae „ additamentum Terenti vocatur. Mira sunt quae de hoc scholio disputavit Kampius l. s. s. p. 11.

[3] De omissa in hac scaena Epicurea sententia v. supra p. 43-44. V. 590 παρῳδία de Ennio videtur Donato (v. trag. 421 Vahlen.).

[4] Act. IV scaena prima ad Colacis normam et conditionem conficta esse a Terentio videtur.

οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.[1] — Chremetis ebrietas IV 5 Men. Eunucho certe defuit, quippe quae eo tantum inducatur ut prius ille quam Thais in scaenam prodeat v. 12 atque litem ortam inter militem Thaidemque renuntiet quae per insequentes scaenas continuetur. At neque convivium rixave inde orta in gr. Eun. fuit neque Chremes videtur, si gravis senex fuit ut nomen indicat, potuisse ebrius fingi.[2] Insequens scaena, IV 6, qua meretrix seni Chremeti *filiam* se restituere velle profitetur, certe e graeco exemplari fluxit, sed a Menandro adeo mutata est, ut quae fuerit ap. Men. frustra requiras. Immutatio autem eo potissimum spectavit, opinor, ut altercatio inter meretricem et militem induceretur, IV 7, a Colace desumpta; quae quidem maioribus nitebat virtutibus quam ut a Terentio neglegi posset. Actus quintus ex Eun. totus fere est. Pamphila civis agnoscitur et Chaereae spondetur, patribus adsentientibus; Chrysis in *senis Chremetis tutelam*[3] recipitur, et consuetudo illius cum Chaerestrato

---

[1] Ap. Suid. οὑτοσὶ δὲ γαλεώτης γέρων. Praeibat fortasse ut ap. Ter. adulescentis nomen vocat., ita ut senarius fieret Χαιρέστραθ', οὑτοσὶ δὲ γαλεώτης γέρων. Quid de Don. verbis ad h. l. statuendum sit: " errauit Ter. non intellegens Menandricum illud οὗτος κτλ. ait autem stelionem, animal quod lacertae non dissimile est, maculoso corio „ etiamnum in obscuro est, nisi forte Terentius γαλεώδης legit idque non a γαλεός sed a γαλέη (γαλῆ mustela) derivatum.

[2] Contra adulescens sine ulla offensione poterat ebrius fingi. Errat enim Boettiger spec. Ter. edit. p. 245 cum ait: " in comoediis servi tantum et parasiti vilissimi homines ebrietate fiunt ridiculi. „ Nam etiam Callidamates, ut unum adferam, in Pl. Most. I 4 nobilis adulescens ebrius in scaenam prodit.

[3] Pater Chaerestrati vocabatur Simo (Σίμων) ap. Men., Donato teste ad V 5, 1. Nomen " Laches „ quod habent libri Terentianum non videtur sed ab Hecyra repetitum, quamvis Donato

longius producitur, huius patre adsentiente. — Tantum in fabulae exitu ab exemplari suo ea re deflexit poeta ut parasiti et militis personas, quae quidem haud mediocres in fabula partes obtinuerant, usque ad finem persequeretur. Quoniam vero etiam miles sciret necesse erat quidnam de meretrice fieret, Terentius Parmenonem produxit V 8, 4, cui narraret Chaerea quid intus gestum esset (Don. ad h. l.). Neque enim Teuffelio adsentior fieri potuisse neganti ut secum solus Chaerea loqueretur, quod ea quae renuntiat non ad eum solum attineant. At enim nihil causae est cur Chaerea et de fratris sui rebus et de meretrice locutus ap. Men. existimetur; nam quod Parmeno statim Phaedriam conventurus festinat V 8, 12 cui gesta omnia narret V 8, 19, hoc Terentianum putandum est.

---

ipsi notum, v. praefat. Cod. Bemb. habet " Demea. „ Quae fuerint huius senis partes ap. Men., in obscuro est. Ex Donati schol. ad Parmenonis orationem V 5, 31: " manifestius hoc Menander explicat iam pridem infestum meretrici senem nunc demum se inuenta occasione uindicaturum „ mendose collegit Grauertus senem hoc loco locutum esse; nam " se „ accusativus est obiecti, " infestum senem „ subiecti, v. Ihn. l. s. s. p. 18. Eundem errorem repetitum ap. Braunum et Kampium invenio. — Et hoc scholio et eis omnibus quae de Chremete supra disputavi et Thaidis verbis I 2, 66 sqq. adductus sum ut Chrysidem in Chremetis clientelam non Simonis cessisse dicerem. In act. V sc. 8, pro qua soliloquium Chaerae ap. Men. fuisse mox videbimus, adulescens haec ait v. 9-10: " Thais patri se commendauit, in clientelam et fidem Nobis dedit se. „ Haec graecae defuisse vix oportet admoneri quippe quae militis praesentis causa, qui in prototypo non erat, pronuntiata sint, ut ex contextu media luce apparet. Quin absona ea fuerunt in graeca, ubi pater Chaereae eo usque odii in meretricem processerat ut ultionis tempus inhians expectaret. Quoniam vero etiam in graeca meretrici consuli debuit, in propatulo est receptam esse eam a Chremete: odium autem Simonis temperatum esse a Terentio quo id veri similius fieret quod h. l. Chaerea renuntiat.

Et quidem si tollas quae de milite dicit vel audit Parmeno (quae in gr. Eun. non erant), nescias cur ipse in scaenam prodeat. Parum enim veri simile est ea sola de causa illum prodisse ut omnia deinceps referret Phaedriae (Chaerestrato), cuius adventum in scaenam praeparari non erat necesse.

Restant alia archetypi vestigia paullo incertiora. Ap. Zenob. V 95 proverbium extat ex Eun. ductum συστομώτερος σκάφης (fr. V M) et sic explicatum: παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς σκάφας φερόντων μετοίκων. διὰ τὸ ἀπαῤῥησίαστον οἷς οὐδὲ χανεῖν ἐφεῖτο. τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι. Grauertus nullam huic fragmento sedem adsignavit l. s. s. p. 160: Duebner in annal. philol. X p. 30 ad III 5, 48 proverbium rettulit, ubi Chaerea flabellum accipiens non audet muttire.[1] At nusquam, opinor, prov. melius quadrat quam ad I 2, 23: “ quae uera audiui taceo et contineo optume „ sc. altiore premam silentio, inquit hyperbolice Parmeno, quam si in humili σκαφηφόρου conditione sim. Quod quam non temere excogitatum sit ostendunt insequentia verba: “ Sin falsum aut uanum aut finctumst, continuo palamst: Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo, „ quae metaphoram de scapha continuant.[2] — Voces σιτοβολεῖα et ῥίσκος a Polluce laudatae IX 45 et X 137 cum Ter. II 3, 18 et IV 6, 16 comparantur a Grauerto et Meinekio (fr. VI): de v. ῥίσκος quidem valde

---

[1] Meinekius CGF IV p. 124, l. 28 dicere debebat “ Menandri locum ad Terent. III 5, 48 refert Duebner, „ non “ ad T. III 4, 48 r. Grauertus. „

[2] Menandrea verba Kockius (III p. 55) recte Photium secutus composuisse videtur, modo pro — σε ποιήσω scribas — με πειήσεις.

dubia res est, cf. Mein. add. et corr. p. 102. — Prov. λύκου πτερά, Kock. 191, quo pertineat nescio. — Stobaeus denique flor. XXIX 47 refert ex Eun. haec:

πάντα τὰ ζητούμενα
δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτεροι

(fr. IV). Nihil simile est ap. Ter. At quoniam in Chremete non pauca mutata esse docuimus et quam maxime ζητούμενον ap. Men. erat, quis Pamphilae pater esset — ap. Ter. frater, — Chremeti suscensenti quod suspicionem suam non tam desubito aperuisset Chrysis, sic meretricem respondisse putaverim.

IV. Eunuchi Menandreae argumentum fuisse Colaci commune nullo pacto concedendum est.[1] Hoc autem si fuisset, maiore etiam iure quam de Perinthia

---

[1] Don. ad IV 4, 27 adnotat: " haec Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio, sed mire a Terentio proferuntur et quod est plus carent Plautinis nugis. „ Kampius l. s. s. p. 13-14 postquam hoc scholium in suspicionem vocavit, haec addidit: " — oder meinte das scholion vielleicht eine scene aus einem verlorenen Colax des Plautus? Liesse sich letzteres feststellen, so wäre damit eine neue instanz gewonnen für die behauptung, dass auch im Κόλαξ des M. ein eunuch auftrat. „ Minime vero: hoc enim omnino vetat Donatus ad hanc ipsam scaenam (v. 22) Men. Eunuchi fragmentum adferens (nam ubi gr. fabulae titulus non significatur, de principali tantum exemplari cogitari debet). Ceterum sexcenties Donatus Terentianam brevitatem laudavit. Quod cum h. l. ei facere non licuerit, ait tamen poetam si non in longa disputatione, at certe in nugis vitandis a Plautina consuetudine declinasse. Nec mirum quod Don. adeo vituperaverit Plautum; nam ne Terentio quidem pepercit eadem de causa (ad II 1, 1): " iam amatorium multiloquium continet ista actio; nam et repetit quod iam dictum est et id facit magis (?) et odiose nimis. „ Nec desunt scaenae apud Plautum quas Donato displicuisse statuere possis, si Donati iudicium ex eius scholiis satis exploratum habeas. Huius modi esse existimo Pl. Capt. IV 2, Poen. I 3, Truc. IV 3, Rud. IV 6 et 8, Pers. II 2 et 4.

factum est hic quaeri posset cur Ter. non Colacem totam transtulisset in qua nihil desideraretur: plerumque enim parasiti et militis personae ob eam rem a Terentio de Colace sublatae putantur quod ibi maiore studio et cura depictae essent; id quod de parasito saltem certo scimus, Athenaeo teste VI 258 e. — Ordinem nexumque totius fabulae persequi, etiamsi per fragmentorum paucitatem liceret, ab instituto nostro alienum esset: sufficit enim pro ratione huius libelli investigare quo modo hac fabula usus sit Terentius. Sicut Eunuchi ita etiam Colacis nomina appellativa immutavit Terentius: nam Gnatho Στρουθίας et Thraso Βίας appellabantur in graeca, v. fr. I M. et Plut. de ad. et am. p. 57 a. Causa Struthiae prodeundi non videtur in Col. necessario puellae deductio fuisse, id quod servo magis quam parasito convenit: sufficiebat meretricis invitatio ad cenam. Cui quidem cenae occasio nimirum fuit festum Veneris πανδήμου (Athen. XIV 659 d):[1] constat enim festos dies Athenis et alibi in communi plerumque agitari consuevisse. Cf. Alexid. in Φιλούσῃ fr. I M., Heaut. 162, 169, 733 cl. 365. — Ad Struthiae orationem II 2 ac praecipue ad v. 6-7 refero Meinekio adsensus (fr. VII, cl. ed. min.) hos versus:

Ἀλλ' οὐδὲ γεννήτην δύναμ' εὑρεῖν οὐδένα
ὄντων τοσούτων, ἀλλ' ἀπείλημμαι μόνος.

Sed ut quae Struthias (Gnatho) cum Parmenone loquitur ea a Terentio introducta sunt compositionis causa, ita non omnia in parasiti oratione videtur Terentius ad verbum expressisse; nam ad II 2, 26 Don.

---

[1] Etiam Plautinae Poenuli actio in festum Veneris cecidit.

adnotavit: " ἁμάρτημα comicum: in palliata Romanas res loquitur. „ Idem fere de III 1 statuendum: summa quidem scaenae e Colace manavit, ea vero quae Parmeno interponit quaeque in scaenae exitu proferuntur eadem de causa a Terentio addita supra docuimus. Quae miles iactat de rebus a se Rhodii gestis omnia ut par est de Colace manarunt; cuius rei testis etiam est Plutarchi locus, unde discimus adulescentulum illum a Biante (Thrasone) compellatum non Rhodium sed Cyprium fuisse. Nam — ut ad insequentem scaenam transeam — cum eo loco quo Gnatho III 2, 45 recordatus ridet " illud de Rhodio dictum „ rectissime Wyttenbachius composuit fragm. male sanum ap. Plut. de ad. et am. p. 57 a:

Γέλωτι πρὸς τὸν Κύπριον ἐνηθούμενος,

ubi tamen a docti viri emendatione discedo ἐκθανούμενος, quia non adsequor quid illud futurum tempus sibi velit. Emendo potius:

Γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος,

quod loco Terentiano ad amussim respondet: " [Rideo] illud de Rhodio dictum quom in mentem uenit.[1] „ For-

---

[1] " *In mentem uenire* non reminisci tantum sed etiam cogitare significat. „ Don. ad IV 3, 24, cf. eund. ad Phorm. I 2, 27, I 3, 2 (quibus etiam locis fortasse verbum ἐννοοῦμαι sic a Ter. conversum Donatus animadvertit). — τὸ πρὸς τὸν Κύπριον mente supple ῥηθέν, ni forte mavis id excidisse putare initio insequentis versus: cf. Men. inc. fr. 115 ῥηθεὶς λόγος πατρὸς πρὸς υἱόν. — Quam facile denique ENNO in ENHΘ transire potuerit unus quisque intellegit. — Scripseram haec omnia cum a Kockio CAF 84 didici idem fragm. non aliter correctum esse a Cobeto. Cuius viri summi consensu adeo laetatus sum ut mea qualiacumque excogitata deleri, ut par erat, passus non sim.

tasse etiam illud βοῦς Κύπριος, quod in Colace inveniebatur (Kock. 300), militis dicterium fuit in eundem illum Cyprium hominem, qui in fragmento memoratur, de quo modo locuti sumus. — Omnia quae IV 1 Dorias de convivio narrat conficta a Terentio videntur ad Colacis normam: consentaneum erat enim spectatores scire quo modo Chremes receptus esset. At in Colace meretricis ancilla eo tantum fortasse prodiit ut aurum a milite donatum in tuto collocaret v. 627. Sic enim res in Colace administrata fuisse videtur, ut meretrix dono accepto militem eluderet et alteri cuidam amatori noctem daret. Nam domus oppugnatio IV 7 eo spectare potuit ut meretricis amatorem sive verum sive suspectum miles pelleret, cf. Lucian. dial. mer. IX, t. III p. 304. Oppugnationis episodio de Colace ducto quaedam de Eun. sublata nimirum admiscuit poeta, quae primo quisque obtutu animadvertit. Pyrri mentionem IV 7, 13 ut qui sese post principia recipere consuevisset a Colace afuisse ibique potius Alexandrum memoratum esse putavit Boettiger Spec. edit. Ter. p. 264 sqq.; idque eo facilius probo quod Alexandrum in principiis habitasse fama est.[1] Fragmenta ad hanc scaenam pertinentia nulla extant.[2]

---

[1] Nep. Eum. 7 " In principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni eoque omnes cotidie conuenire ut ibi de summis rebus consilia caperentur. „ Nec vero militaris Pyrri virtus, qui primum olymp. CXX III 2 Macedoniae regno potitus innotescere coepit i. e. anno post Menandri obitum tertio, poterat Menandro adhuc vivo in proverbium abisse. Ceterum alio quoque Colacis ipsius loco Alexandri exemplum adferebatur (fr. I).

[2] Fragmentum anon. 285: 'Εμέ, Νικόμαχε, κτλ. huc non pertinet. Nicomachus enim gloriosi cuiusdam militis nomen

In extrema fabula V 7, V 8 etiam miles et parasitus prodeunt et concursus fit quattuor personarum interloquentium. Nam Terenti mos est res et personas quas novas introducit non neglectas relinquere sed exitui fabulae implicare. Act. V scaena 7 tota sine dubio ex Colace derivata est: insequentem scaenam usque ad v. 19 monologum Chaereae in Men. Eun. fuisse supra diximus. Ex v. 20 inde usque ad finem spectavit Terentius ut omnes personae gaudentes evaderent hilaremque fabula exitum haberet. Hoc ut fieret etiam militi et parasito prospici debuit. Vidimus supra p. 98 sq. meretricem in Men. Eun. non a Simone sed a Chremete receptam esse: hoc ideo a Terentio fictum arbitror ut miles postremo sub speciem suppeditandae pecuniae in Phaedriae patris tutelam concedere fingeretur atque meretricis vicinitate contentus et ipse laetus in exitu fieret: eademque ratione etiam parasito consuleretur. Quoniam autem haec omnia ut huc evaderent, Eunuchum graecam et inprimis Chremetis et Simonis personas aliquo modo Terentius mutavit, in aprico est Colacem graecam non mutatam hac ex parte aut parum mutatam accessisse. Et profecto etiam in graeca militis sultitia plectebatur. Cur igitur censeamus ap. Men. alia quadam ratione militem cruciatum esse, cum ea quae ap. Ter. est militis ingenio quam maxime consentanea sit, sc. ut se meretricis amoris participem dici satis habeat, pecuniam meretrici suppeditet v. 45 sqq., illius vero

---

est. At Bias non Nicomachus vocabatur in Colace miles, nec veri simile est duos ibi milites fuisse.

amore nequaquam fruatur? Quibus omnibus pensitatis satis superque persuasum habeo Terentianae fabulae exitum magis ad Colacis quam ad Eunuchi normam esse perscriptum.

§ 5. — PHORMIO.

I. Quin Phormionis exemplar Ἐπιδικαζόμενος Apollodori fuerit non dubitabit nisi insaniens.[1] Attamen miri erroris originem quem Donatus admisit et Bentleius secutus est non erit a re alienum indagare. Adnotavit Donatus ad v. 24: " hic manifesto errat Terentius. nam haec fabula quam transtulit Ἐπιδικαζομένη dicta est a puella de qua iudicium est, cum sit alia Ἐπιδικαζόμενος eiusdem Apollodori. debuit ergo dicere: Epidicazomenen Graeci, Latini Phormionem uocant. „ Verborum prologi sententia

" adporto nouam
Epidicazomenon quam uocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem uocant „

primo adspectu ea videtur esse ut Epidicazomenos et Phormio nomina personarum ambo sint, illud graecum, hoc latinum, alterum ex altero conversum:[2]

---

[1] Gutakerus Luzacio probante " de digamia Socratis „ p. 64 Phormionem Terentianam ex Apollodori Διάβολος expressam esse persuadere conatus est. V. Mein. hist. com. p. 463.

[2] Hac dictione haesit Bentleius ipse scripsitque ideo: " Graece: Latine hic Phormionem uocat. „

quod quidem re vera antiquitus visum esse indicio hoc est quod nonnulli Donato auctore (in praef. et ad v. 26) Phormionem " a formula litis quam intenderat „ dictum putaverint: sc. Phormio a formula ut Ἐπιδικαζόμενος a δίκη.[1] At Donatus in eodem haesitans errore cum tamen aliunde certo sciret sycophantam etiam in graeca Phormionem vocari (ibid.), vidit fieri non posse ut in prototypo una persona duo haberet nomina ideoque in v. " Epidicazomenon „ iudicavit nomen latere alius personae i. e. puellae de qua iudicium esset restituendumque esse " Epidicazomenen:[2] „ huc eo insuper fortasse adductus quod Apollodori fabula sub Ἐπιδικαζομένου et - μένης nomine circumferretur sicuti Philemonis Ἁρπαζόμενος, - μένη (Mein. Men. et Phil. p. 362). — De tituli mutatione recte iudicavit Dziatzko Phorm.[2] 41-42 et not. idcirco ratus Terentium ab exemplari recessisse, ut ad spectatorum intellectum descenderet, quibus iuris formula obscura fuisset.

II. Tacet prologus quid de hac fabula Luscius senserit, quia non videtur cum primum acta est ei nota fuisse. Attamen cum haec tota motoria sit[3] et de oratione et scriptura in prol. agatur, possis conicere voluisse poetam ostendere se non minus in grandi

---

[1] Nomen autem Ἐπιδικ. ipsa eademque ratione formatum videri poterat atque Periplecomenus (in Pl. Mil.), Philumena, sim.

[2] Idque secundum illud Donati: " nomina personarum in comoediis duntaxat habere debent rationem et etymologiam q. s. „ ad Ad. I 1, 1. Quae quidem etymologia longissime saepe repetitur: nihil igitur mirum quod Donatus putaverit eam de qua iudicium esset ἐπιδικαζομένην vocari, cum sit proprie ἐπιδικασθεῖσα, Isae. 6, 14, Diod. 12, 18.

[3] Cf. Don. praefat. et Heaut. prol. 35-46.

oratione et laboriosa scriptura valere quam in *tenui oratione* et *scriptura levi*. Cuius quidem comoediae generis Apollodorus forsitan commodiora quam Menander suppeditaverit exempla. Ad Phormionis compositionem quod attinet, frustra Ladevicus excogitavit l. s. s. p. 7 sq. Davi personam protaticam non ab Epidicazomeno sed ab alia quadam graeca fabula adscitam esse: obstat enim schol. ad I 1, 15,[1] de quo infra dicetur. Neque plus profeceris si Phaedriae et citharistriae amorem ut a fabulae argumento alienum ad instar amoris Charini et Philumenae in Andria aut aliunde sumptum aut a Terentio additum putaveris: pariter enim obstat schol. ad I 2, 41. Si quis denique de act. III scaena secunda dubitationem moverit, quippe contentio de citharistria non necessario *agi* debuerit (cf. paene simile episodium in Ad. II 2 de Diph. sumptum), repugnabit fragm. ad v. 21 a Don. relatum, quod licet Apollodori nomen prae se non ferat, huic tamen adiudicandum est siquidem principalis tantum exemplaris fragmenta Donatus adferre consuevit. Pro certo igitur adfirmari potest Phormionem Terenti ex uno eodemque exemplari fluxisse. — Cum vero fabulae argumentum a Graecorum moribus institutisque totum pendeat,[2] consentaneum est debuisse saepe Terentium rem ad Romanorum intellectum accommodare. Quod quidem re vera a poeta

---

[1] Nulli igitur usui est Men. fr. inc. 40, quod primo obtutu aliquid commune habere videtur cum Davi querelis (cf. v. 41-46).

[2] R. Lallier " Le procès du Phormion " in " Ann. de l'assoc. p. l'enc. d. ét. gr. en France XII 48-62 " iam demonstravit potuisse omnia quae Apollodorus finxit Athenis evenire.

factum esse facile deprehendimus. Quid enim opus erat graecis spectatoribus haec tradi: " Lex est ut orbae, qui sunt genere proxumi, Eis nubant, et illos ducere eadem haec lex iubet — „ ? Quae tamen romano spectatori reticeri non poterant I 2, 75-76. Item II 1, 5-8: " — An hoc dicet mihi: Inuitus feci. lex coegit? audio, fateor. — Places. — Verum scientem, tacitum causam tradere aduorsariis, Etiamne id lex coegit ? „ haec omnia docendi causa a Terentio addita esse nemo non videt. Tum in hac ipsa scaena v. 62-63 Gatae verba: " Seruom hominem causam orare leges non sinunt, Neque testimoni dictio est, „ supervacanea fuerunt in graeca: satis erat enim si diceret: servus sum (cf. v. 65: " sino *Tu seruo's* „).[1] Ita etiam quae pone insecuntur fusius explicat poeta quam graeco spectatori necesse esset. — Interdum ei successit rem ad romanos mores accommodare paucis tantum resectis. Ita I 1, 15 cum in graeca Donato teste [2] pueri Atheniensium a certo tempore Samothracum mysteriis initiari dicerentur, Terentius satis habuit dicere " ubi initiabunt „ quippe qui probe sciret etiam Romae

[1] Accedit ut si ex attico iure συνήγορος esse servus numquam poterat, at non semper μαρτυρεῖν vetabatur. Nam testimoni dictio etiam servis erat si de nece ageretur: v. Meier u. Schömann Att. Proz. s. 667, 680 ff. Non potuit igitur adeo praecise Apollodorus loqui.

[2] " Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis. „ Hoc scholium mirum quantum criticorum ingenia torsit. At si post " initiari „ interpunxeris, totus locus perspicuus evadet; nam quae secuntur ea non Apollodori sed Donati verba sunt. Illud vero " in insula Samothracum initiari „ quod non parvas creavit molestias nihil aliud est, arbitror, quam versio dictionis graecae

" initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, diuis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et cunis trasierunt, „ (sic Probus ex Varr. ap. Don. ad h. l., cf. Non. p. 108), cetera omisit utpote a romanis moribus remota. Consilium Terenti non satis perspectum videtur habuisse Donatus qui Probi interpretationem omnino repudiaverit. At verum enuncleavit ad I 2, 41 haec adnotans: " Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellae comam ob luctum abstulisse: quod scio mutasse Terentium ne externis moribus spectatorem romanum offenderet.[1] Pro tonsore Phaedriam adulescentem nuntium fecit Terentius, quia deficiente comae detonsae occasione nihil erat cur etiam tonsor in medium veniret. Mira sunt quae de hac mutatione disseruerunt Schroeder " de rom. mor. pall. fab. immixtis „ [Marienwerder 1853] p. 13 sq. et Fritzschius l. s. s. p. 5. — Etiam IV 3, 42 aliquid diversum a graeco exemplari exhibuit Terentius, commostrante Donato his verbis: " In graeca

ἐν Σαμοθράκῃ μεμυεῖσθαι = Samothracum mysteriis initiari, cf. Aristoph. Pac. 277, Plut. apopht. p. 197. Quapropter Fritzschii emendatio " de gr. T. f. „ II p. 2 " sacris Samothracum „ non necessaria videtur, et cod. Oxoniensis lectio " initiis Sam. imbui. „ [ap. Dziatzko. Phorm.[2] *anhang*] fortasse interpretamentum est locutionis Donatianae.

[1] De graeca consuetudine quae ab Homeri inde aetate repetitur [Ψ 135, δ 197] v. Stallbaum. ad Plat. Phaedon.[3] p. 146, Plut. quaest. Rom. 14. — Ad I 2, 56 " capillus passus „ Don. adnotat: " temere dispersus ut magna pars: a graeca oratione profluxit haec dictio. „ Sed qui potuerit haec dictio a graeca oratione profluere quando puella ap. Apollod. detonsa erat, fateor me non intellegere. An verba " ut magna—dictio „ ad insequentem versum potius pertinent? Tum possis arguere illud " uis boni „ = " *magna pars boni* „ de Apollodoro conversum esse, qui μέγιστον ἀγαθόν aut sim. scripserit.

fabula senex dicit: quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienae?„ Terentius eodem hic artificio usus quo alibi usum esse vidimus verba senis servo Getae tribuit: et lepide sane fingitur iratus senex pauca tantum loqui dum callidus Geta mentem eius fideliter interpretatur ne quid ei suboleat de fallacia.[1] Haec sunt potissimum quae Terentium in gr. exemplari mutavisse accipimus;[2] verum etiam de graviore mutatione quamvis Donatus taceat suspicio mihi oboritur. Neque enim mihi videtur poeta in effingenda Phormionis persona archetypi vestigia presse secutus esse. Parasitus in comoedia plerumque adsentator ac sycophanta fingitur (Lucian. calumn. 20, 151: ἡ κολακεῖα — συγγενής, μᾶλλον δὲ ἀδελφ ήτις οὖσα τῆς διαβολῆς), cf. Ribbeck. " Kolax „ Lipsiae 1883 p. 6 et 27 sqq. Phormio Terentianus parasitus et sycophanta simul est, nec plane abest adumbratio quaedam adsentationis, v. II 2, 31. Dubitandum quidem non est quin graecus quoque Phormio sycophanta simul et parasitus fuerit, siquidem *Phormio* et parasiti (Athen. VI 244 f)

---

[1] Aliter censet Fritzschius. Verba autem Apollodori talia fuisse suspicatur:

ΔΗ. τί δ' ὄφελός ἐστι μηδ' ἀνελέσθαι θυγατέρα,
εἴπέρ γε προὶξ ἀλλοτρίᾳ δοθήσεται;

[2] Nulli usui est Donati adnotatio ad III 1, 18: " Non optat saluum patruum uenire secundum Apollodorum et ostendit non congruere salutem eius cum commodo suo. „ Neque enim liquet utrum Antipho apud Apollodorum optarit annon patruum salvum venire. Etiam nescio quid sibi velit schol. ad II 3, 46: " More Romanorum apud quos hereditas pecuniae erat. *Talentum* autem quod dixit more Graecorum admiscuit. „

et calumniatoris (Apollod. Διαβ. fr. 2[1]) nomen fuisse traditur. At quoniam parasiti quam maxime a Terentio lacerari et quam acerrimis coloribus depingi solent Donati ipsius iudicio (Eun. praef. et II 2, 1 et 13, Phorm. II 2, 1, alibi), fieri potest ut poeta parasiticam Phormionis indolem clariore in luce ponere studuerit, quae parum in graeca emergeret — ubi id maxime intererat ut Phormio ἐπιδικαζόμενος esset.[2] — Huc fortasse pertinet etiam decantata illa de ebrietate Ambivii fabula parasiti partem mirifice agentis, unde gavisus est Terentius: Don. ad II 2, 1. Augetur haec suspicio si reputaveris parasiti imaginem quam sordidissimam fieri iis plerumque locis qui aut certo Donati testimonio aut aliis indiciis Apollodoro abiudicandi videntur. Nam ad. II 2, 25 Don. adnotat: " Haec non ab Apollodoro sed e sexto saturarum Ennii translata sunt omnia:

Quippe sine cura laetus lautus cum aduenis
Insertis malis, expedito bracchio,

---

[1] Μέγα,
ὦ Φορμίων, γλωττόκομον, οὐκ ὀφθαλμιῶ

Poll. X 154. Qui quidem Phormio ille ipse διάβολος certe est, unde fabula nomen duxit. Neque enim mihi probatur Fritzschii scriptura:

A. μετὰ φορμίδων γλωττόκομον. B. οὐκ ὀφθαλμιῶ.

[2] Etymologia nominis *Phormio* et parasito et sycophantae aeque convenit. Dicebatur sic (sc. φορμίον) " graeca lingua fiscus sparteus — a cuius rei uel capacitate uel uilitate etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. „ Ita Donatus in praefatione; et ad prol. v. 17 : " — φορμίον tegiculum dicunt Graeci, quo insternitur pauimentum. — Ergo inde parasitus uilissimae condicionis homo nomen accepit. „ Nos quoque

Celsus alacer, lupino expectans impetu,
Mox cum alterius abligurrias bona:
Quid censes domino esse animi? pro diuom fidem!
Ille tristis cibum dum seruat, tu ridens uoras.[1] „

Similitudo haud quidem magna intercedit; verum id quod nostra maxime interest hoc est quod locus Terentianus de Apollodoro translatus non est: hoc enim reticuisset grammaticus unde hausit Donatus, si Ennius quoque Apollodorum secutus esset. Porro in extrema fabula morum Romanorum vestigia insunt quae primus Schroeder indicavit. Nam quae Phormio loquitur V 9, 37 sqq. Chremetem inridens ea " ex intima Romanorum et natura et conditione derivata „ v. d. recte iudicavit, siquidem apud scriptores graecos " indictiva et publica funera qualia Romae constituebant quaestores [Suet. Caes. 6] nusquam commemorantur „ l. s. s. p. 14-15.[2] Sed non solum verba Phormionis quibus exequiarum mentio fit, verum etiam quae insecuntur usque ad fabulae exitum aliquo modo Te-

---

dicimus de pauperrimo homine " povero in canna, stoiato. „ V. φορμίον autem non multum differt a v. στιβάς, unde proverbium Φορμίωνος στιβάς — ἐπί τῶν εὐτελῶν (Suid. s. Φορμ.). Comicam originem apertissime redolet etiam illud quod Androtio ap. schol. Aristoph. Pac. 347 (cf. Suid. l. l.) de Phormione Atheniensi Asopii f. (de quo v. Thucyd. I 64 et 117, II 29, 68, 80 sqq.) tradit fuisse eum laborum patientissimum semperque in bello χαμαικοιτεῖν consuevisse.

[1] V. 2 " insertis „ defendit Ribbeckius [Kolax p. 29] contra Ritschelii coniecturam " intentis „ op. III 794. V. 3 " alacer celsus „ mss. Cf. Vahlen. mus. rhen. XIV 568. V. 4 " abligurias „ Leid. Alii " obligurrias, ablingas, abligurrieris. „ V. 6 " cibum dum „ Muretus et Vahlenus. " dum ciuium „ Lugd. " dum suom „ Ribbeckius mus. rhen. X 277.

[2] Cf. Marquardt. Privatleb. d. Röm. I 351 sqq.

rentius immutasse mihi videtur. Equidem arbitror Phormionem in graeca Chremetem incusasse tantum apud uxorem v. 47-50, reliqua vero quibus Nausistratae cenam extorquet et parasiticam indolem ostendit a Terentio addita esse. Neque enim incusatio eo spectat ut Phormio Nausistratae gratiam ineat eiusque propterea perpetuus hospes fiat, si totius fabulae argumentum attente consideraveris. Nam tota fabula bipartito dividi potest: in prima parte Phormionis opera amori Antiphonis, in secunda meretriciae Phaedriae consuetudini prospicitur. V. 883 prima pars absolvitur; quae restant Phormio ipse fatetur v. 886 sqq. eo solum spectare ut argenti et puellae possessio Phaedriae in tuto collocetur — ita etiam in Eun. Phaedriae et Thaidis consuetudini, Ctesiphonis et Pamphilae in Adelphis consulitur. — Qua de re et Chremetem et Nausistratam de Phaedriae consuetudine certiores fieri oportuit, ea tamen ratione ut Phaedria de argento et amica in discrimen non veniret. Quo ut cuncta evaderent necesse erat etiam senis vitia in lucem proferri, ut et hic deprimeretur et matris gratiam Phaedria iniret. Huic parti Terentius parasiticum artificium adsuit cum argumento fabulae non necessario coniunctum, immo etiam parasiti ingenio parum conveniens, quandoquidem parasitus pauperrimus, — si talis ut plurimum in graeca Phormio fuisset, — nihil profecto antiquius habuisset quam secretum silentio premere, ut quoties occasio incideret hoc terriculamento ad Chremetem emungendum uteretur.

III. Vestigia graecae fabulae post Meinekium ex ordine recensuit sat diligenter F. Fritzschius (spec. II),

quem supra memoravimus. De eis quae immutationem Terentianam indicant iam locuti sumus; nunc satis erit reliqua perlustrare et quantum poterimus perpolire.

Ad I 2, 37 Don.: " Apollodorus: ΝΑλΚΕΙS δεσυνεμαλι μΕοΛ. Fritzschius: ἡμεῖς δ' ἔτ' ἀργοὶ [τότε] συνεπεμελούμεθα. Dziatzko mus. rhen. XXXI 370: ἡμεῖς δὲ [σύσχολοι] συνεπεμελούμεθα. Ex cod. Antverp. Αναλκεις δε συνεμαμμωα εναργης συνεπεμελομεθα temptaverim: ἡμεῖς μὲν ἀργοῦντες συνεπεμελούμεθα.[1]

Ad II 1, 51 Don.: " Oratorie crimen quod obiectum est non purgauit modo sed etiam ad laudem conuertit, quod rhetores περίστασιν dicunt. Et hoc de Apollodoro. „

Ad III 2, 21 Don.: " auribus teneo lupum: graecum prouerbium τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον· οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.[2]

Ad III 3, 29 Don.: " Παροιμία. Apollodorus: Μόνος γε ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους. „ Aliqui codd. omit-

---

[1] ναλκεις] ἐν λέσχῃ Ellis. V. Kock. III 285.

[2] Hoc fragm. sic redintegrare conatus est Fritzschius:

καὶ τὸν λύκον γε, [φασί,] τῶν ὤτων ἔχω
ὃν οὔτε κατέχειν δυνατὸν οὔτ' ἀφιέναι.

At non proverbium sed proverbii causa adferendi explicatione egebat. Itaque servato verborum ordine sic expleverim:

ὥς φασι, τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον ἐγώ·
οὔτε γὰρ ἔχειν οὔτ' ἀφιέναι τοῦτο δύναμαι.

Τοῦτο = " quod amas „ v. 504 [τὸ ἐρώμενον]. Prima verbi ἵημι, ut constat, recte etiam corripitur, cf. Meinek. IV 652. Aliter emendavit Kockius CAF III 286. Versum 507 — ad quem pertinent graeca verba οὔτε γὰρ κτλ. — iniuria a Bentleio damnatum Terentio vindicavit Ladevicus Beitr. p. 13.

tunt τούς. Fritzschius: φιλεῖν δὲ τοὺς φίλους ἐπίσταται μόνος. Sed fieri etiam potest ut post ἐπίσταται aliquid interciderit, ut σφόδρα, μάλα, sim.

Ad IV 1, 9 Don. " Apollodorus: τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα. „ Fritzschius: τὸ γ. αὔτ' ἐστιν ν. Fortasse sic explendum est: τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ [δὴ] νόσημα [γάρ].

Ad IV 1, 21 Don.: " Apollodorus: 'Εγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός. „ Quod Guyetus sic transposuit: 'Εγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος.

Ad IV 3, 56 Don. " Graecum prouerbium τί δή, εἰ τὴν ψυχὴν ὀφείλει; „ Sic vulgo: at quoniam in Don. cod. ap. Lindenbrog. ita potius legitur: " Graecum prouerbium spreuit eIACO φη TA eyde KYPAS, „ inde Fritzschius, comparatis Aristoph. Lys. v. 928 et Aesopi fabella ap. Ael. V. H. X 5 vel Stob. XLIX 24, proverbium effecit εἰ δ' ὗς ὀφείλει τὸ κρέας; ingeniose sed parum probabiliter. In postremis litteris mihi videor agnoscere verba οἶδεν ἐνεχυρασμένον, cetera non expedio.

Ad IV 3, 63 Don.: " *Sexcentas:* Apollodorus μυρίας dixit. „

Sunt denique loci complures quos ad exemplar graecum attinere possis suspicari. I 1, 5 Don. " *erilem filium:* τρόφιμον Graeci dicunt. „ I 2, 22 Don. " *magistrum:* sic Latini quem Graeci παιδαγωγόν appellant. „ I 2, 28, cf. proverbium graecum πρὸς τὰ κέντρα μὴ λακτιζέτω. I 3, 16 Don. " *ut ne*, quod Graeci ἵνα μή. „ I 4, 9 Don. " Παροιμία· πλίνθον πλύνεις. „ I 4, 17 Don. " *plurimum* τὸ πλεῖστον. „ IV 5, 14, cf. gr. dict. γυναικὶ πρόσφορον γυνή. Eurip. Hel. 830, CGF IV 668 anon. 284. V 1, 4 Don. " *audio uiolenter* (sc. patrem tolerare haec facta): quod Graeci dicunt δεινῶς. „

§ 6. — ADELPHOE. *

I. Ex prologi contextu intentique criminis ingenio manifesto apparet Terentianam fabulam non esse ab adversariis lectitatam antequam scaenae committeretur,[1] sed hoc tantum eis constare, esse eam ex Menandri Adelphis et Diphili Synapothnescusin conflatam. Neque enim adeo vesane mendax putari debet Luscius ut Terentium furti insimularit quod nullum extaret neque Terentius adeo clemens ut tam fatuam incusationem maiore indignatione non respuerit. At enim cum probe nossent adversarii Synapothnescontes Diphili iam a Plauto elaboratam esse, maluerunt statim " in peiorem partem rapere „ Terentianam fabulam i. e. de furto cogitare,[2] quam post actionem aequum de ea facere iudicium. Nihil est igitur cur ad Lusci criminationem explicandam prologi verba in dubium revocentur, quibus locus Diphili integer a Plauto relictus esse dicitur. Nec vero debet Terentius adversariorum aculeos satis superque expertus vehementerque admonitus translatis fabulis ut abstineret tam secors haberi, ut eius modi crimini obviam ire

---

* " De contaminatione in P. Ter. Adelphis „ iam disserui in commentatione quae in " Annali della r. scuola norm. sup. di Pisa „ prodiit a. 1888 v. V phil. [p. 1-32]. In qua cum corrigenda demenda addenda non pauca gliscente exercitatione sentirem, refictam totam ac recusam huic opellae, cui deesse vix poterat, inserere constitui.

[1] In contrariam sententiam disputavit F. Guil. Holtze " Neue Iahrb. „ suppl. XI [1845] p. 7.

[2] Nam illud " rapere in p. p. „ non est " vituperare „ ut quidam perverse interpretantur. Cf. Eun. 629 sq., And. 193.

potuerit, de quo iam se defendere nullo pacto posset. Supra docuimus contaminationis crimen ad eos quoque locos pertinere quos Ter. aliquo modo immutavisset oeconomiae necessitate adductus. At prologus cum prae se ferat:

" eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit,[1] „

hac ex parte adversarios praeoccupat, quae e Diphilo accesserunt ea fassus tam apte commodeque in Ter. fabulam convenisse ut nulla mutatione indiguerint. — Nunc Diphili locum propius inspiciamus atque inprimis quatenus ap. Ter. pertineat definiamus. Si prologi tantum verba respicias, illam tantummodo partem e Diphilo translatam esse iudices, qua Aeschinus Sannioni meretricem eripit, versibus 1-41 act. II inclusam. Atque ita censet Ihnius his potissimum argumentis adductus: primum quod ad II 1, 43 " Minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria „ referendum putat Menandreum illud οἴμοι· τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ gn. mon. 696, deinde quod ad v. 45 Menandri fragmentum misere corruptum Don. adfert: ΑΙΓΟϹ

[1] Ad h. l. Donatus adnotavit: " mire non dixit transtulit ut ornasse graeca videatur latino stilo. „ Sed " uerbum de uerbo expressum efferre „ et " ornare latino stilo „ pugnant inter se; nec v. " efferre „ in bonam partem semper accipitur ut sit " far risaltare, dar rilievo: „ cf. Cic. or. 44, 150 " suaues grauesue sententiae, si inconditis uerbis efferuntur, offendunt aures. „ Fortasse Ter. nihil aliud spectavit, nisi ut duo verba primis litteris consonantia coniungeret *(allitterazione)*: " exp — ext. „ Donatus autem mihi videtur illud " extulit „ cum verbis " in Adelphos „ coniunxisse miratusque quod poeta non dixerit " transtulit „ haec omnia sibi finxisse.

TH πOIωN TOIΓOεPπATO TON ΓPωNON OIKεTHN λαβων.[1] Teuffelius vero " Stud. u. charakt. „ p. 284 sqq. opinatur non modo primam huius actus scaenam eamque totam i. e. Sannionis soliloquio non excepto, sed etiam insequentem a Diphilo profectam esse quippe quae priorem tam apte commodeque excipiat ut ab alio poeta perscripta minime videatur: nam soliloquium ab Aeschini et Sannionis altercatione totum pendere et pone insequens colloquium eo spectare ut puellae possessio Aeschino (vere autem Ctesiphoni) confirmetur. — Quoad Menandream sententiam οἴμοι κτλ. unus quisque facile intellegit nihil causae esse cur ad. v. 43 referatur. Sed gravior est de altero fragmento disputatio. Cum enim ad v. 45 " Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi „ adlatum sit his praepositis verbis " secundum illud Menandri „ nec generalis sententia praeceptumve illis verbis contineatur, quod in qualibet Menandrea fabula inveniri potuerit, non satis intellegitur quo pacto Donatus Menandri verba attulerit quae non in eadem sede apud illum invenirentur quam ap. Ter. obtinent, cum praesertim versus Terentianus adeo involutus abditusque non sit

---

[1] C. F. Hermannus " Iahns Archiv „ VI [1840] p. 68:

εἰκός τοι ποιῶν
ἔτυφ' ἄρ 'αὐτὸν ὡς ἂν οἰκέτην λαβών,

Benoit. ap. Mein. V add. p. CCXLI:

αἰσχρὸν τοῦτό σοι,
τοιχωρύχ', εἰς τὸ γρῶνον οἰκέτην λαβών,

Duebner:

μάστιγι παίων ἐντόνως
εὐρωστότατον ἀρωγὸν οἰκέτην λαβών.

ut scholiasta ipsius Menandri verbis ex quolibet loco sumptis versum explanare voluisse dicatur. Haec omnia reputanti adrisit mihi olim Ihnii sententia : nunc vero re diligentius perpensa ad Teuffelium libentius accesserim. Et illius quidem fragmenti incommodum facile removetur, si quis consideret Donatum, ut saepe docuimus, principalis tantum exemplaris verba adferre consuevisse nec mirandum esse si qua in Menandrea raptionis narratione [1] cum Diphileis consenserunt. Certe Sannionis persona Diphilo tota attribuenda est,[2] qui quantam in huius modi personis procudendis curam posuerit ostendit et lenonis querimonia in fr. inc. 2 et Labracis persona tam graphice depicta in Rudente Plautina, de Diphilo et ipsa conversa fabula. Extat porro Diphili fragmentum (inc. fab. 30) quod accurate expensum sententiam nostram mirifice confirmat. Est autem hoc:

καιρῷ τιθέμενον κέρδος ὡς καρπὸν φέρει,

ubi τιθέμενον quid significet, ὡς unde pendeat, sensus quis sit non liquet: at omnia perspicua fiunt, modo exitus prioris versus intellectui necessarius excidisse

---

[1] Quae quidem ap. Men. deesse non potuit ut infra videbimus. — Fragmentum autem non ad v. 45 sed ad superiorem “ Domo me eripuit, uerberauit q. s. „ (Bemb. “ domi „ receptum a Wagnero) rettulerim ita fere restitutum:

αὐτὸς δὲ παίων [εὐθέως]
ἀπεῖρξε τοῦτον πρῶτον οἴκοθεν λαβών.

Quo modo vero haec alibi ab alia persona ap. Men. pronuntiari potuerint suo loco dicetur.

[2] Exceptis pauculis quae Sannio in scaena quarta interponit.

putetur isque ita fere restituatur: θαυμαστόν ἐστι μηδαμοῦ | καιρῷ κτλ.[1] Nunc vero quis est quin sentiat ex hoc Diphili loco expressa esse ad verbum haec Syri II 2, 8: " Pecuniam in loco neglegere maximum interdumst lucrum? „ — Quae quidem si de Diphilo translata sunt, tota scaena sine dubio ad Diphilum referri debet auctorem.

Locus Diphili in se nihil habet, opinor, quod iuncturam duarum fabularum indicet: id quod ex prologo duntaxat et eo loco quem episodium ipsum obtinet in fabulae oeconomia dignosci potest. Illud certe quodam modo offendit quod Parmeno qui raptionis puellae tanta pars fuerit postea semper lateat; attamen non dixerim cum Dziatzkone " es widerspricht der praxis unserer lustspielgattung, einem iungen herren zwei sklaven so gleichen gepräges, wie Parmeno und Syrus sind, beizugeben:[2] „ nam etiam in Pl. Asinaria Libanus et Leonida unius erilis filii servi sunt, Argyrippi, eiusque pariter in amore adiutores, v. 57 sq. Neque id magis mihi probatur quod v. d. adfirmat contaminationis vestigium etiam in sc. 1 v. 39 sqq. inesse, ubi erepta puella libera dicitur.[3] Cum enim de illius libertate nulla postea mentio fiat, immo meretrix perpetuo vel psaltria nuncupetur,[4] efficit Dziatzko puellam fuisse ingenuam ap. Diphilum, meretricem ap. Menandrum. At magna difficultas in prol.

---

[1] Cf. Eurip. Andr. 209: τὴν Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθης. Etiam ὕστατον, ἐν μηδενί sim. τίθημι. V. Jacobi com. dict. ind.

[2] Adelphoe p. 11².

[3] Mus. rhen. XXXI [1876] p. 374 sqq.

[4] V. 388, 405, 451, 476 sqq., 600, 617, 724 sq., 742 sqq., 759, 800, 842 sqq., 967.

v. 8-9 sita est (“ In Graeca adulescens est qui lenoni eripit *Meretricem* in prima fabula „), quam Dz. non dissimulavit,[1] sed nec dissolvit. Neque enim valet quod primo obtutu possis suspicari puellam in Diphili fabulae parte prima meretricem habitam esse, postea vero ingenuam esse inventam atque in libertatem vindicatam: hoc enim fieri non credibile est nisi in extrema fabula;[2] episodium vero e “ prima fabula „ sumptum est. Tum, si puella libera erat, cur eam eripuit adulescens quam iure in patrocinium suum sibi vindicare poterat? Neque enim est cur dicas Aeschinum id fecisse temporis brevitate coactum aut Ctesiphonis consilio verentis ne maior in civitate rumor manaret atque ad Demeae patris aures res perferretur. Nam de temporis brevitate quo res acta fuit tantum in versibus 272-273 iniecta est mentio, qui Diphilei non sunt; nec quidquam causae est cur hac ipsa ratione et ap. Diphilum rem administratem esse conseamus. Metui autem locus esse omnino non poterat, quando illud unum curae erat Ctesiphoni ne reus ipse prae patris oculis videretur: quod quidem timendum iam ei non erat, ex quo Aeschinus frater meledicta, famam, laborem et peccatum in se transtulerat v. 263. Spengelius de hac re Dziatzkoni plane adsensus aliud ingenuitatis puellae indicium in v. 44 videt “ Domo me eripuit, uerberauit, me inuito abduxit meam: „ “ Wozu brauchte

[1] l. s. s. p. 375[3].

[2] Et vero si in Συναποθν. duo adulescentes amore depereuntes introducebantur, puellae agnitio, si qua fuit, eo spectare debuit, ut eos a consilio commoriendi avocaret laetumque fabulae exitum faceret.

Aeschinus „ inquit v. d. “ den leno aus dem hause zu reissen, wenn er nur das mädchen in sicherheit bringen wollte? weit vortheilerhafter wäre das gegentheil für ihn gewesen, wenn er ihn in seinem hause gesperrt hätte, wenn er gehindert hätte, dass er ihm auf der strasse nachliefend das mädchen wiederholt zu entreissen suchte. Dagegen passte dieser sachverhalt in die comödie des Diphilus. Wenn das mädchen eine freigeborene war und der leno sich weigerte vor gericht zu erscheinen, so konnte der adulescens ihn aus seinem hause zerren und mit gewalt vor gericht führen.[1] „ At e Ter. verbis colligitur primo lenonem domo ereptum esse, deinde puellam abductam: unde facile perspicitur lenonem domo vi exclusum esse ne quaeritantibus puellam impedimento esset aut illius fugae alia quadam ratione utpote domus suae bene gnarus consuleret. Neque adulescens servique puellam abducentes poterant lenonem domi occludere, nisi prius clavibus potiti essent:[2] et vero ap. Men. fores effregerat Aeschinus, v. 88. Certe si inter adulescentem et lenonem nondum scaenam ingressos altercatio de puella fuisset in qua adulescens lenonem domo ereptum ac renitentem in iudicium adducere conatus esset, non satis liquet cur leno timeat sc. I v. 39 ne puellam vendere ab Aeschino cogatur. quam iam sciat liberam esse ob eamque rem venire non posse. Tum autem soliloquium lenonis. quod Ihnium secutus Menandro deberi Spengelius censet, siquidem in eo Sannio ita de puella loquitur quasi

---

[1] Adephoi *einleit.*
[2] Cf. Pl. Most. 394 sq.

venalis sit, versum haberet (44) qui Diphilo tribuendus esset: quem quo consilio infulserit Terentius nullo modo patet. Postremo, cum iam sciret leno puellam civem esse, quid opus erat hoc ab Aeschino decantari his conceptissimis verbis: " quae liberast; nam ego liberali illam adsero causa manu „ quasi nihil sciret leno? — Sed videamus interim, versus 40-42 quid sibi velint. Cum paullo superbius dixerit leno: " Si eam nolo uendere coges me? „ inridens Aeschinus, quod se leno vendere nolle dicat quae in aliena potestate iam sit[1] " minime „ respondet; ubi vero videt lenonem illud " minime „ ironice dictum non sensisse (San. " namque id metui! „), ne videatur ei manus dedisse, haec addit " Neque uendundam censeo Quae liberast q. s.,[2] „ quae arrogantis[3] simulque iocantis verba sunt quasi dicat: Recte facis quod puellam vendere non vis: ego quoque ita sentio, quin etiam nefas esse aio illam venire, nam libera est, sc. iure mea est.[4]

---

[1] Cf. Don. ad v. 38 et 39.

[2] Non ita dissimile responsum παρὰ προσδοκίαν vide in Pl. Pseud. v. 340-342. Calydorus laetans quod Ballio leno dixerit se iam venalem non habere puellam quam adulescens amaret, " Dic mihi, „ inquit " obsecro hercle, uerum serio, hoc quod te rogo: Non habes uenalem tu meam Phoenicium? „ Ba. " Non edepol habeo profecto: nam iam pridem uendidi. „

[3] Don. ad II 2, 2 " — et uide quam ingeniose Terentius qui supra ab Aeschino lenonis nomine facit Sannionem uocari utpote ab homine *arroganti et feroci*... „ Ceterum contumeliae in lenones adeo pervulgatae erant, ut eas Ballio vocet in Pseud. Pl. 1081-82 " nugas theatri: uerba quae in comoediis Solent lenoni dici, quae pueri sciunt. „

[4] Contra Syrus qui honorificentius quam Aeschinus loquitur cum lenone (cf. Don. ad II, 2): " Hui, Metuisti, si nunc de tuo *iure* concessisses paullulum q. s. „ v. 216 sq. et Don. ad h. l.: " Bene *tuo iure,* ne diceret: non erat res mea quam uenalem habui „ (sc. ut iam dixerat Aeschinus). Ceterum huius modi

Arripuit Aeschinus occasionem quae sese obtulit ludificandi lenonem, qui satis inepte negavisset puellam quam amisisset se venditurum.[1] In insequentibus quoque verbis " Nunc uide utrum uis argentum accipere an causam meditari tuam „ εἰρωνεία latet quasi dicat adulescens: Vide utrum vis argentum accipere an utrumque. argentum et puellam, amittere. Cf. II 2, 32-33: " Potius quam uenias in periclum, Sannio, Seruesne an perdas totum q. s. „ — Haec omnia ioco dicta esse vel hoc argumento est, quod e lenonis verbis lenoni contraria conclusio infertur aut. ut Terentianis verbis utar, suo ipsius gladio leno iugulatur.[2]

Duabus prioribus secundi actus scaenis Diphili episodium coercuimus: at fuerunt qui etiam quartam scaenam de Diphilo sublatam esse contenderent. Cum enim ad II 4, 11, ubi Aeschinus fratrem arguit quod

---

minas incredulos audivisse lenones, nisi forte de puellae ingenuitate iam aliquid compertum habuerunt ut in Pl. Pseud. 1347-49 cll. 1391 sq., nec flocci facere consuevisse donec re vera in iudicium raperentur, etiam conspicitur e Pl. Rud. 736 sqq., 745 sqq. cll. 860 sqq., Curcul. 492.

[1] Huius modi εἰρωνεία eadem de re subest Daemonis verbis in Rud. 1368, qui lenoni gratis puellam vendenti quae in Daemonis potestate iam sit, " Benigne edepol facis „ inquit.

[2] Aeschini minas non veras esse sed simulatas iis etiam confirmatur quae P. Barnetus " de iure ap. Ter. „ Parisiis 1878 p. 44 demonstravit provocans ad Gaium fr. 6 dig. de liberali causa 40, 12: " pro necessariis tantum personis de libertate litigare conceditur; quare videtur Aeschinus virgini utpote extraneus iuvenili quodam impetu praeter ius actionem minitari. „ Nempe per parodiam illam iuris formulam — lenonum terriculamentum — adhibuit adulescens, ut ostenderet se lenonem tanto in contemptu habere ut non minus post raptionem securus esset quam si puellam ut cognatus in libertatem vindicavisset eamque suo iure possideret. — Etiam in Pl. Rud. Plesidippus apud recuperatores in libertatem vindicat Palaestram V 1: at puellae cognatus iam agnitus erat IV 6.

de amore suo nimis diu pudoris causa tacuerit eoque paene adductus fuerit ut patriam relinqueret, haec Donatus adnotet: “ Menander mori illum uoluisse fingit, Terentius fugere, „ Lessingius [1] praeeunte Petro Nonnio “ Diphilus „ pro “ Menander „ reposuit mortis minas melius nomini Diphileae comoediae (Συναποθνήσκοντες) quam Menandreae convenire ratus. Sed hac emendatione omnino opus non est, quia nihil obstat quo minus et ap. Men. Ctesipho mori voluisse fingatur neque veri simile est Terentium sine probabili causa a Diphilo discessurum fuisse, si Diphilum in hac quoque scaena imitatus esset. [2]

II. Priusquam reliquas fabulae partes perlustramus, pauca de quibusdam personis praefanda sunt. Hegionem Sostratae viri cognatum v. 494 et amicum v. 351 et aequalem v. 465 docet Donatus ad. v. 351 in Menandri fabula Sostratae fratrem fuisse. Dziatzko “ Adelph. „ p. 6 *einleit.*, Regelio etiam probante l. s. s. p. 8, hoc a Terentio factum recte existimat, ne mirum videretur fratrem ea penitus ignorare quae in sororis domo longo post tempore gererentur. Et quidem qui potuit neptis et Aeschini consuetudinem nunc primum post decem menses v. 475, 691 senex

[1] Hamb. dram. VII p. 437 ed. Lachm.

[2] In comoedia desperantes amatores interdum de fuga (v. supra p. 48), saepius vero de consciscenda nece cogitant: v. CGF IV 288 fr. 245, IV 451, Heaut. 971, Phorm. 686, Plaut. Asin. 606 sqq. (630), Merc. 472 (cl. 483), Cas. 286 sq., Cistell. 248 (cll. 365, 434 sqq.), Pseud. 88 sq. Hinc fortasse pependit etiam titulus Crobyli comoediae Ἀπαγχόμενος. Diligentiae causa etiam memoro opusc. Frid. Guil. Sturzii “ de consuetudine commorientium „ Gerae 1790 (v. Mein. I 456), quod tamen fateor me non potuisse videre.

rescire, cum praesertim adulescens numquam intermitteret diem quin ad puellam se conferret v. 293 sq.? Quoniam vero nihil causae est cur id quod Terentius vitavit admiserit Menander — neque enim vincula cognationis inter fratrem sororemque Athenis et Romae diversa fuisse constat, — iure quaeri potest cur Hegio ap. Men. amorem Aeschini et Pamphilae diu ignoraverit quamvis puellae avunculus esset. Hoc aliter explicari nequit quam si Hegio omnia de amore illo ap. Men. satis cognita habuisse putetur. At si ap. Men. Hegio frater Sostratae fuit novitque probe neptis amorem, etiam quaeritur cur Terentius nec fratrem esse eum nec quidquam de neptis amore scire voluit. Haec dubia facile removentur, si teneas Sostratam ap. Men. precibus Pamphili adductam iurasse se de vitio filiae illato usque tacituram neque adeo cum fratre Hegione qui rem urgendo [1] corrumpere posset quidquam communicaturam, postquam Aeschinus quoque iure iurando firmavisset hac condicione se puellam uxorem ducturum (v. III 1, 7 sqq.; 2, 8; 2, 33-36, 38; 4, 25-28); fratrem autem Sostratae a Terentio Hegionem factum non esse, quo maiorem mulieris et Micionis nuptiae — de quibus infra dicetur — veritatis speciem habiturae essent, si Sostrata sola proximique cognati auxilio carens ostenderetur. Hanc enim causam praetendit Demea Micioni nuptias suadens: “ Nec qui eam respiciat quisquam est, solast „ v. 932. — Sostratam Pamphilae matrem eodem ap. Men. no-

---

[1] Quippe cui pater ipse puellam commendasset moriens v. 457.

mine appellatam fuisse ex eod. schol. ad v. 351 colligere est: eademque ratione Ctesipho quem mori voluisse finxit Menander eandem apud illum quam ap. Ter. partem habuisse consendus est. — Micio vero num ap. Men. Λαμπρίας appellatus fuerit dubitare par est, postquam frag. 9 M. (ex Stob. serm. XCIV)[1] dispescuit Cobetus mnem. IV 256, Meinekio adsentiente in Stob. edit.: quamvis Lampriae nomen, ut verum fatear, ingenio senis apprime conveniat; quod nescio an de nomine Micionis dici possit.[2]

III. Terentianae fabulae principium, quod Graeci vocaverunt εἰσβολήν, Menandreo exordio Varronem praetulisse auctor est Suetonius in Ter. vita. Varronis

---

[1] Πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ γὰρ
καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει·
ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τἀνιαρά, Λαμπρία, φέρει.

Cf. IV 3, 14.

[2] Nam Lampria, a λαμπρός, nomen est hominis splendidi et liberalis, qualis re ipsa Micio ostenditur v. 42 sq., 57-63, 833 sq., 863 sqq., 988. Sed Mīcio (Μικίων) avari potius hominis et sordidi nomen videtur: huiusce enim nominis rationem a μικρός (μικκός, μικύς, μίκης) derivati ad hominis μικρολογίαν rettulerim: μίκης = μικρολόγος ap. Hesych., quo quidem vocabulo homines " sordidi atque animi *parui* „ (Hor. sat. I 2, 10), " *minuti* et angusti „ (Cic. de fin. I 18, 61) saepe notantur (nos dicimus " gretti „): cf. CGF III 334 fr. 1 v. 10 (ubi μικρολόγῳ opponitur πολυτελής), IV 101 fr. 2 v. 4, cet. Micionis igitur nomen idem fere valet quod Σμικρίνης, de quo cf. schol. Ambros. Hom. Od. 7,225 κομιδῇ γὰρ σμικρολόγος φαίνεται ('Οδυσσεύς) προτάσσων τῶν φιλτάτων τὴν κτῆσιν, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ Σμικρίνης ἐν 'Επιτρέπουσιν. Dziatzko certe neutiquam mihi probatur ab hominis statura rationem nominis deducens " Adelph. „ p. 2 *einleit.* — An fragmenti pars posterior (τὸ γὰρ — φέρει), quae Lampriae nomen prae se fert, etsi cum priore non necessario coniuncta nec loco Terentiano ad verbum respondens, utriusque tamen senis colloquio et ipsa debetur?

iudicium varie explicatum est.[1] C. F. Hermannus[2] ex tenore totius loci Suetoniani effecit mutationem Terentianam latius patere quam Varronis verba indicare videantur inque gravioribus rebus constitutam esse, cum Suetonius causam adferat quam ob rem poeta Adelphos pariter ac reliquas fabulas populo probaverit:[3] unde artificiosissime raptionem psaltriae in prologo a Syro renuntiatam esse argumentatur, qui " Aeschino cum lenone ad forum digresso, cum Ctesiphone et psaltria domum redierit hisque intromissis, quae ap. Ter. se cum Micione egisse (III 3, 10) paucis tantum narrat, illic pluribus ante spectatorum oculos egerit, donec Demea adveniente duos fratres solos iurgiis suis relinqueret. „ Hinc autem profectus mon-

---

[1] Mitto Duebneri sententiam putantis Varronem ad I 2, 1 (principium fabulae?) respexisse, quo loco Don. adnotat: " Melius quam Menander quod hic (*Ter.*) illum (*Demeam*) ad iurgium promptiorem non resalutantem facit. „ Neue Iahrb. 1834 p. 29.

[2] Iahns Archiv VI [1840] p. 68, 75.

[3] Quae quidem opinio longissime distat a vero. Nam laudem Varronis non eo adfert Suetonius ut confirmet fabulam placuisse — id quod iam antea de omnibus praedicaveret, Hecyra non excepta, — sed quod singulari mentione principium fabulae dignatus sit Varro illud existimans vel archetypo anteponendum. Quodsi praeconium Varronis eo spectaret ut Adelphos placuisse comprobaret, cur de Heaut. et Phorm. ne verbum quidem fecisset Suetonius? At enim Varronis laus et pretium Eunuchi a superioribus discreta habenda sunt eoque addita a Suetonio ut duae fabulae, Eun. et Ad., non modo placuisse sed etiam *praeter ceteras* placuisse dicerentur. Quam ob rem intercidisse quaedam ante illud " nam Adelphorum q. s. „ ad reliquas fabulas spectantia, quae Wolfii Ritschelii Leonis aliorum opinio fuit, necesse non est putari, cum praesertim, ad grammaticam quod attinet, usum particulae " nam „ huic loco convenientem scite perstrinxerit Vahlenus in ind. lect. univ. Berol. sem. hib. 1883-84 p. 5, cl. Cic. Tusc. I 48, 116.

strat v. d. qualis fuerit exordii cum tota fabula conexus. Sed haec omnia fundamento carere, immo etiam comicis Graecorum legibus quam maxime repugnare diserte ostenderunt Ihnius et Dziatzko.[1] Grauertus primam fabulae scaenam haud magno opere a Menandrea mutatam censet atque Verronem singula tantum in ea respexisse existimat. Ihnius " ad commendandam atque adeo praeferendam graecae fabulae latinam „ sufficere autumat " si cum Grauerto raptionem psaltriae apud Menandrum tantummodo narratam esse a Demea censemus. „ Verum raptionis narrationem eo graecae fabulae loco ponit Grauertus, cui nunc in Terentiana versus 88-94 [I 2, 8-14] respondent: at quo modo scaena secunda principium fabulae nuncupari possit non intellego. Aliam investigandi viam ingressus Guil. Fielitzius[2] cum perspiceret, si Aeschinum domi esse in actus secundi principio ap. Men. tenemus, eum in primo etiam actu domi esse debere, versus 1-12, quibus anxium sese praebet Micio quod a cena filius nondum redierit, Menandreos esse negavit eorumque loco ap. Men. alios fuisse coniecit, quibus Micio solus narraret se Aeschinum una cum psaltria domum ingredientem vidisse idque quid sibi vellet coniecturis adsequi studeret: huc Varronis laudem pertinere. Recte Fielitzius animadvertit Aeschinum in primo actu domi esse debere,

---

[1] Dziatzko opinionem suam in universum sic exposuit: " Ich glaube mit ienem (Ihne), dass Varro bei seinem urtheil über den anfang der Adelphoe an keine grössere verschiedenheit der *oeconomie* gedacht hat. „ Adelph. p. 10.

[2] Iahrb. f. phil. usw. 1868 p. 675.

in ceteris non audiendus. Neque enim credo quidquam Micionem de psaltria novisse aut Aeschinum vidisse. Nam poetae consilium in fabula scribenda hoc fuisse videtur, ut diversam liberorum instituendorum rationem exprobraret, quam uterque senex elegisset: maxima autem comica virtus in eo sita est quod contrarios uterque fructus ex sua educandi ratione capiat. Atque Micio qui sese iactat:

" alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adulescentia,
Ea ne me celet consuefeci filium,[1] „

constanter ignorat quae filius agat Pamphilamque ipsam ab eo vitiatam esse nescit, quamvis et illa vicina sit et menses post factum lapsi sint decem, v. 475, 691. Porro Micionis ingenio quis hoc dixerit consentaneum, qui se filii secreta omnia noscere arbitraretur, ut eum una cum meretrice domum ingredientem viderit nec quidquam ab eo requisiverit? Ab Aeschini denique indole, quem erubuisse accipimus v. 643 ubi patrem offendit e domo amicae suae exeuntem, omnino abhorrere censendum est se cum meretrice patris oculis offerre. Neque magis mihi probatur quod v. d. conicit de primi actus exitu ap. Men.: " Micio ging dann am ende des aktes auf den markt nicht um Aeschinus zu suchen, wie bei Terenz, sondern entweder um nähere erkundigungen über die sache einzuziehn oder um den fortgeeilten bruder einzuholen und besänftigen. „ Nam de raptione poterat senex

[1] V. 52-54.

singillatim ab Aeschino ipso certior fieri, quem domi esse sciret; cur autem fratrem placare voluerit, sane non perspicitur. — Sed videamus iam liceatne ex Terentiana fabula Menandreum exordium exculpere, ut aliquid certius de Varroniano iudicio statui possit; nam principii fabulae mutatio a Diphili episodio plerumque, neque id iniuria, repetitur. Episodio Diphili intra fines quos praescripsimus coercito, novus actus a Ctesiphonis adventu v. 254 exorditur. Atque id inprimis offendit, quod Ctesipho qui raptioni et ipse interfuerat (Demea: " Ctesiphonem audiui filium Vna fuisse in raptione cum Aeschino „ v. 355) nunc primum in scaenam prodeat, sc. postquam Aeschinus domum deduxerat puellam. Sed de hac offensione postea dicetur: nunc admonere sufficiat, Ctesiphonem ap. Men. non domo egressum esse sed a foro advenisse, quemadmodum ap. Ter. v. 254, quandoquidem ea re tantum in scaenam prodibat ut conveniret fratrem qui domi erat. Syrus vero, si in hoc actu primum v. 260 prodiit, domo exisse necessario putandus est, quippe qui puellae et Aeschini adventum renuntiet Ctesiphoni. Aeschinus igitur et Syrus iam inde a primo actu domi fuisse censendi sunt: nam eos in intervallo inter primum et secundum actum domum redisse a scaenica Graecorum [et Latinorum] consuetudine alienum est. Igitur psaltria iam erepta erat: illam clam patre domum deduxerat Aeschinus. Quod quidem adulescens aut noctu fecerat — noctu enim raptionem evenisse v. 1 docet — aut primo mane, Micione nondum experrecto. Haec omnia iam inde ab initio fabulae gesta erant — et quidem in primo

actu rumor facti ad Demeae aures iam pervenerat. I 2: — nec vero, si haec in ipso fabulae Menandreae initio acta putarentur, intellegeretur cur Terentius Diphili episodium in Menandrei locum, in fabulae scilicet exordium, non transtulisset. At si ea non agebantur, profecto narrabantur. Verum enim vero quis melius et commodius quam Syrus haec omnia narrare poterat domo egressus in ipso fabulae initio? Syrum enim raptionis consilium dedisse e v. 368 apparet, eum raptioni interfuisse veri est simillimum,[1] res extra scaenam gestas alibi quoque (v. 364 sqq.) narrantem deprehendimus. Praeterea autem, id si statuamus, non pauca fiunt perspicua quae nunc sunt subobscura. Quod enim Geta vehementissime invehitur in Syrum " inpulsorem „ v. 315 sqq., id manifesto est indicio Syri partes in raptione iam notas fuisse non modo civibus quos Geta percontatus esset, sed etiam spectatoribus; qui quidem Getae verba non statim intellexissent,[2] nisi iam antea a Syro audivissent, quas ipse partes in raptione suscepisset. Tum serus Ctesiphonis in scaenam adventus facile explicatur, si non pauca Syrum in facti narratione de Ctesiphone ut par est locutum conieceris, quae ap. Ter. mente supplere cogimur. Inter cetera scilicet significavit Syrus Ctesiphonis causa raptionem patratam esse, Aeschinum vero qui iam male audiret facti famam in se transtulisse ideoque fratri suasisse ut domum paullo tardius peteret, ne illius adventus una cum puella su-

---

[1] Ap. Diphilum vero raptioni non interfuit, v. 210.

[2] Nam Geta eo modo loquitur quasi Syrum impulsorem fuisse certo sciat, non suspicetur tantum.

spicandae veritatis causa esset. Porro ea verba quae in Ctesiphonis laudem pronuntiat Demea: “ Si conferendum exemplumst, non fratrem uidet Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium? „ v. 94-95, faceta admodum in gr. fabula fuerunt risumque spectatorum profecto moverunt, qui quam parcus et sobrius esset Ctesipho iam a Syro audivissent. At illepide frigideque haec eadem ap. Ter. proferuntur, quandoquidem Ctesipho quis sit etiamtum ignoratur. Postremo aliquid fortasse etiam de effractis foribus, v. 88 — cuius rei nullum in Diph. epis. indicium est — Syrus cum spectatoribus communicavit. Rebus sic constitutis, principium fabulae Menandreae sic compono: sc. I, Syrus narrat solus ante acta i. e. raptionem puellae eiusque deductionem: — sc. II, exit Micio, Syrum de filio percontatur; cui servus verba dat filiumque nondum redisse mentitur:[1] — tum Syro profecto Micio ea solus loquitur (sc. III) quae ap. Ter. a tertio inde versu leguntur. Iam si recte hucusque coniecimus, obscurum esse non potest quo doctissimi omnium Romanorum viri iudicium spectaverit. Nam duo in ipso fabulae limine soliloquia, Syri et Micionis, eaque non ita brevia, quae sese invicem tam presse exciperent, nemini probari poterant qui sano uteretur iudicio. Hoc idem certe sensit ipse poeta, cum psaltriae raptionem in media fabula *agi* quam in prima *narrari* maluit. Quae cum ita sint, eam quam sibi Terentius praesagivit laudem prol. 5 Varro confirmavit merito, siquidem

---

[1] Quod quidem Syri naturae maxime est consentaneum. V. 277, 401 sqq., 534 sqq., 559 sqq.

" Segnius inritant animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator. „ Hor. a. p. 180-82.

IV. Satis hactenus de exordio: nunc reliquam fabulam perlustremus. Ad Micionis verba: " et quod fortunatum isti putant Vxorem numquam habui „ I 1, 18-19 Donatus adnotat " Romani scilicet qui caelibem quasi caelitem dicunt. et item Graeci apud quos sunt huius modi sententiae q. s. „ et illud " quod fortunatum cet. „ explanat " me utique uxorem non ducere. dicit autem Romanis ita uideri, quos spectatores habet. Menander TωN ΛNKΛPIΔH | MYΓINEKΛωRΛΛM-BΛNωET. „ Verba graeca sic restituerim:

ἐγώ
μακαρίζομ' οὐ γυναῖκα λαμβάνων ἔτι. [1]

---

[1] Nam " uxorem numquam habui „ et " uxorem non iam duco „ idem valent, si Micionis aetatem respicias, v. 938. Alii aliter emendarunt. Bentleius ὦ μακάριόν μ'ὅτιὴ γυναῖκ'οὐ λαμβάνω, Clericus μ'ὥσπερ. Grauertus μ'ἐπεί. Meinekius μ'ὅστις, C. F. Hermannus μ''οὐ γάρ, Ihnius μ', ἐγώ. Qui quidem omnes emendationis conatus, alioqui peccantes in grammaticam, a quieta placidaque Micionis oratione prorsus abhorrent. Dziatzko mus. rhen. XXXI 373 sq. collatis iis quae paullo post subiungit Donatus: " quidam putant sic pronuntiandum *et quod fortunatum isti putant uxorem*; „ proposuit τὸ μακάριον δ'αὐτῶν γυναῖκ'οὐ λαμβάνω. At graeca verba. ut apparet ex contextu, suffulciunt Donatianam interpretationem " me utique uxorem non ducere, „ quae quidem utpote falsa Donato in mentem non venisset, si nulla intercessisset causa; tum, sive illud αὐτῶν ad spectatores sive ad vulgo dissentientes pertinet, neutris veri simile est uxorem visam esse μακάριον, si vulgata Graecorum dicteria ac proverbia in uxores memineris. Nec tamen dubito cum Ihnio l. s. s. p. 28 quin ea verba graeca e simili loco fabulae Menandreae petita sint.

Quae si vera est emendatio, Micio ap. Ter. ut qui postea nuptias enixissime repulsurus sit repugnantiam suam quamvis singularem aperte fatetur, ap. Men. vulgi opinioni tantum concessisse contentus. — Ad I 1, 32-33 " pudore et liberalitate q. s. „ rettulit Meinekius hoc fragm.: οὐ λυποῦντα δεῖ Παιδάριον ὀρθοῦν, ἀλλὰ καὶ πειθοντά τι ap. Stob. LXXXIII 12 sine fab. tit., similitudine non ita magna intercedente, [1] quippe quod etiam cum v. 49-50 comparari possit. Idem dicendum de fragm.: Υἱῷ προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν Κηδεμόν' ἀληθῶς οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου itidem sine fab. tit. ap. Stob. LXXXIII 5, quod Meinekius ad I 1, 47 sqq., Ihnius ad I 2, 27 sqq. rettulit. — Dum suam educandi rationem Micio iactat, prodit iratus Demea, facinus narrat filii, culpam in Micionem confert, abit. Advenientis Demeae concitata verba " ehem opportune q. s. „ magis quam resalutatio Menandrea Donato placuerunt, schol. ad I 2, 1 (v. supra p. 129[1]); et ad haec eiusdem verba " in orest omni populo „ I 2, 13 bene rettulit Ladevicus *Beitr.* p. 4 hoc Men. fr. inc. 506 ἡ πόλις Ὅλη γὰρ ᾄδει τὸ κακόν. Prodit deinde Ctesipho cuius adventum in fab. initio praestruxerat Syrus, v. supra p. 133, fratremque optime de se meritum cumulat laudibus, II 3. Illum subsequitur Syrus domo egressus Micionis, II 3, 7, sive missus ab Aeschino Ctesiphonis quaerendi causa sive obsonium in prandium empturus, cf. II 4, 22. Nam leno nullus fuit ap. Men.: quae vero paucula inter-

---

[1] Meinekius ipse in ed. min. incertam dixit hanc suam coniecturam. De fragmenti scriptura v. CGF suppl. add. V 239.

ponit Sannio II 4 et nullius ferme sunt momenti et a superioribus fere repetita, cf. 278 et 224, 227; 279-80 et 205, 195, 198-99. Porro Aeschinus cum lenonis causa exire videatur (II 4, 1: “ Vbist ille sacrilegus? „), re vera autem Ctesiphonem et ipse quaerit (II 4, 2 “ Ehem opportune: te ipsum quaero „). Ceterum ob eam rem, ut pretium puellae solveretur lenoni, hunc necesse non erat in scaenam prodire. [1] — Interea Pamphilae partu imminente Sostratam matrem trepidantem solatur Canthara nutrix bonoquo animo esse iubet his verbis:

“ E re nata melius fieri haud potuit quam factumst, era,
Quando vitium oblatumst, quod ad illum attinet [potissumum,
Talem, tali *in*geni*o* atque animo, natum ex tanta [familia „

III 1, 8-10. “ Haec προέκτασις tragica id est gaudiorum introductio ante funestissimum nuntium „ (Don. ad h. l.) apud Men. non defuit, teste fragm. VI (3 K.): εἰ δ' ἔστιν οὗτος τὴν κόρην ὁ διεφθορώς — quod huc melius multo quadrat quam ad III 2, 10, quae Meinekii fuit suspicio. In insequenti scaena (III 2) qua raptionem patratam ab Aeschino renuntiat Geta dominaeque iussu ad Hegionem currit dum Canthara obstetricem arcessit, mutavisse quaedam Terentius, quaedam re-

[1] Quod vero Diphili episodio imminutus aequo brevior actus secundus evadat, id nulli est offensioni. Attamen, quamvis Varro doceat non esse mirandum vel apud Graecos quod actus impares scaenarum paginarumque sint numero (Don. Hec. praef.), possis suspicari post III 2 secundum actum in graeca conclusum fuisse.

secuisse censendus est. Iam vidimus Hegionem amicum Sostratae viri factum esse, v. 351 sq., cum Sostratae frater esset ap. Men. (v. supra p. 126); Geta autem fingitur suis oculis raptionem vidisse, v. 329: quod quidem si etiam in graeca fuisset, non tam sero alacer servus factum erae renuntiasset atque adeo postquam in ore erat omni populo, v. 93. [1] Tum, si recte ut videtur Meinekius fr. VIII Gaetae tribuit III 2, 55, resecuit poeta haec e Men. Ad. desumpta verba:

ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
πένητός ἐστιν· οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
δεόμενον· αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Demea qui Ctesiphonem quoque raptioni interfuisse audivit anxius redit filium ratus ad Micionem confugisse. At Syrus reversus a foro suadet seni Ctesiphonem ruri esse. Dum senex rus abiturus est, Hegionem conspicatus [2] etiam de vitiata Pamphila audit. Quibus rebus magis magisque iratus ad forum properat ut haec omnia in fratrem evomat. Haec et insequentes scaenae (III 3 — IV 2), quamvis nullum exemplaris extet vestigium, nihil est tamen cur ap. Men. diversae fuisse putentur. Dum variis modis Demea luditur et huc illuc ambulatum mittitur, Micio Hegione intercedente consensum dat matrimonio filii

---

[1] Cf. supra p. 136.

[2] Cum versibus 441-42, 444-45, quibus Hegio antiquae virtutis et fidei reliquia extare dicitur, possis conferre Men. fr. inc. fab. 286:

Συγκέχυκε νῦν τὴν πίστιν ὁ καθ'ἡμᾶς βίος.

et Pamphilae, immo etiam adit Sostratam eamque solatur. Huc (IV 3, 14 sqq.) spectare supra vidimus (p. 128[1]) Menandri verba πρὸς ἅπαντα κτλ. Interea Aeschinus comperit e Canthara quae sit de se orta suspicio: continuo domum Sostratae adire, pulsare, sese purgare velle (IV 4). At ex eadem egrediens domo occurrit Micio, qui ut est homo lepidus primo filium paullisper ludificatus matrimonio denique adsentitur. Ad IV 5,9 Clericus rettulit parum apte Men. fr. inc.173:

ὃς δ' οὔτ' ἐρυθριᾶν οἶδεν οὔτε δεδιέναι
τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει,

et ad Micionis verba filium obiurgantis quod amorem suum occultavisset: " Quid? credebas dormienti haec tibi confecturos deos? „ IV 5, 59 in cod. Bemb. haec adscripta leguntur: " Menandri u[er]sus est in illo loco que ....γυμνασεραν.... ττάλον. habet h[unc] sensum et Sallu[stius] in sententia C[atoni]ana. Vergilius alitur uitium uiuitque tegendo dum medicas adhiberi m. a. u. p. a. e. m. d. [s. o. p.]. [1] „ In verbis graecis proverbium agnosco γυμνοτέραν παττάλου (γυμνότερος παττάλου· ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀπόρων Diog. I 232 Leutsch.): quae vero ante ac post γυμνοτέραν exciderint non expedio. Sensus fortasse hic erat: " An credebas dis adiuvantibus aliquando divitem fore quae pauperrima esset? „ cf. 728-29. [2] Certe admiratio et gaudium adu-

[1] Sallust. Catil. 52, 28-30. Verg. Georg. III 454 sqq. — Umpfenbach.

[2] Huius modi interrogationi commode possis haec subiuncta censere :

Θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῖσιν οὐ παρίσταται.

Men. gn. m. 242.

lescentis, ubi demum patris adsensum habet v. 697 sqq., melius explicatur si Micio paupertatis quoque mentionem, quae quidem sola nuptiis obstare poterat, iniecisse putatur.[1] Timuit fortasse Terentius ne adulescens Micionis largitatem et liberalitatem satis superque expertus in huius modi verbis nimis utpote insolitis simulationem latere statim sentiret. — Post hanc scaenam (IV 5) nonnulla in fabulae oeconomia ut a Terentio mutata esse arbitrer non levi adducor argumentatione. Micio v. 706 domum intrat ut " quae opus sunt (ad nuptias) parentur: „ exit post paucos versus et omnia parata esse renuntiat, ut nupta ubi primum Sostrata velit deduci possit, v. 719 cl. 787. Hoc iam mirum pro temporis ratione: sed gravius adferam. Postquam Micio significaverat omnia sibi et filio in promptu esse ad novae nuptae deductionem, multis insuper scaenis interiectis, filius haec ait v. 899 sq.: " Occidunt me quidem dum nimis sanctas nuptias Student facere: in adparando consumunt diem. „ Itane verum etiamnum adparari quae multo antea adparata esse renutiabatur? Quodsi etiam reputaveris post hanc scaenam (IV 5) itemque post. v. 786 (sc. antequam Sostratae domo exeat Micio) scaenam vacuam relinqui etsi novus actus non exorditur, haec omnia ap. Men. non ita administrata fuisse iure suspiceris. Iam versus 706 — unde patet Micionem domum suam ingredi —

---

[1] Ad IV 5, 73 referri solet Men. fr. inc. 190:

> Ὡς ἡδὺ πρᾶος καὶ νεάζων τῷ τρόπῳ
> Πατήρ.

Quo nihil incertius.

quibusdam manu scriptis defuit, Donato teste ad h. l., et versiculi 784-86 gravem habent offensionem, quippe quibus Syrus ambulatum egressus v. 767 nulla nova addita causa domum reverti fingatur: unde scaena vacua fit. Quibus omnibus pensitatis, res ita ap. Men. dispositae fuisse mihi videntur, ut Micio post IV 5 in scaena maneret et v. 757 Sostratam conveniret sciscitandi causa quid de puerperae deductione statuendum esset; postea vero v. 787 Sostratam paucis dum exiret adlocutus — paullo aliter quam ap. Ter. — Syrum in scaena offenderet, qui intercepta domini adventu ambulatione domum petere cogeretur. — Interim Demea defessus ambulando in scaenam redit fratremque conspicatur: novae de Aeschino querimoniae exortae. Sed ubi senex nuptias Aeschini imminere, Ctesiphonem in Micionis domo cum meretrice morari, cuncta denique sibi contraria sentit, rerum necessitati cedit invitus (IV 6 — V 3). Ad V 3 17-18 pertinet schol. Plat. Bkk. 319: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων· ἐπὶ τῶν εὐμεταδότων — καὶ Μένανδρος Ἀδελφοῖς β'*, fr. XII M.[1] — Post V 3 (vulgo) actum quartum conclusum esse non modo in latina sed etiam in graeca pro certo habeo. Namque a mutata vivendi ratione Demeae ordo rerum incipit novus, actus autem comicos etiam ap. Graecos " rerum discriptione „ ut plurimum niti tradidit Varro

[1] Nihil efficitur ex schol. ad V 3, 45 " Omissiores ἀνιέμενοι, ἀνετώτεροι. „ Sed Menandrea verba fortasse deprehendi possunt in schol. ad V 3, 54 " Faciundumst: satis mire tamquam necessitate cogatur ad gaudendum agrestis senex ξΜΙΣΟΚΑλΗΜΕΡΟΣ. „ Unde verbum καλήμερος tantum mihi liquet. — Cum IV 6, 21 congruit graecum proverbium τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν ὥσπερ οἱ κύβοι, Alex. Βρεττίᾳ fr. II M.

ap. Don. Hec. praef. in fine.[1] Ad novum actum quod attinet (V Fleckeis.), mirum quantum Fielitzius mihi errare videtur qui repentinam vitae mutationem Demeae veri esse similem negans totum actum quintum (Fleck.) ap. Menandrum defuisse contendat.[2] At Demeam cum dicit " ego uitam duram, quam uixi usque adhuc, Prope iam excurso spatio mitto „ 859 sq. id non ex animi sententia sed ex indignatione loqui per-

---

[1] Post IV 5 (vulgo) actum quartum desisse in graeca censet Dziatzko " Adelphoe 4[5] sq. *einleit.*, „ Hermanno praeeunte. " Ich kann freilich „ inquit Dz. " nicht verhehlen, dass Menander sehr wahrscheinlich den Demea nach V sc. 3 (der vulgata) gar nicht die bühne verlassen liess. Den Syrus hat er nämlich im hause auch nicht gesehen (s. v. 883), und zu welchem zwecke er V sc. 4 (sc. 1 Fleck.) wieder aus dem hause des bruders heraustritt, ist mit keinem worte angegeben und um so auffälliger, als er v. 882 wieder zurückgerufen wird. „ At quod causa nulla adferatur quam ob rem Demea exeat statimque revocetur, offensioni esse non potest, si hominis indolem respexeris qui cum ab domo sua et opere rustico longe absit uno loco otiosus consistere nequit et huc illuc cogitabundus fertur. Quo vero iure e memoratis locis efficiat v. d. Aeschinum et Syrum non antea visos esse a sene, equidem non perspicio. Nam illud Demeae " — o Syre noster, salue: quid fit? quid agitur?„ v. 883 salutatio est ironica (cf. v. 884) non primi occursus index (cf. Don. ad h. l.), siquidem illo ipso die Syrum viderat senex, V 2, atque ex verbis: " De. Quid agitur, Aeschine? Ae. Ehem, pater mi, tu hic eras? „ v. 901 hoc tantum colligitur adulescentem credidisse patrem iam profectum, quem domo exeuntem vidisset. At e contraria parte Syrus et Aeschinus, qui Demeam probe norant, cur senis mutatos repente mores non admirantur? cur Aeschinus tanta prius admiratione perculsus ubi Micionem suis nuptiis consentientem audivit ut eius dictis diffideret (" Pater, Obsecro, num ludis tu nunc me? „ v. 696 sq.), nihil prorsus commovetur his Demeae verbis: " Cur non domum Vxorem arcessis? „ v. 903 sq. — ? Haec omnia nequeunt aliter explicari quam si putes aliquid in Micionis domo antea transactum esse et Demeam satis iam debacchatum ad consilium adsimulandae clementiae transisse.

[2] Iahrb. f. phil. 97 [a. 1868] p. 677.

spexit iam Donatus haec monens in praef.: " seruatur per totam fabulam mitis Micio, saeuus Demea, „ idque etiam fabulae examine confirmari demonstravit Lessingius.[1] Et quidem, quae pronuntiat Demea v. 855 sqq., quis est quin sentiat desperantis verba esse qui cum omnes a se deficere videat omnia etiam experiri vult, non quo confidat novam illam vitam quam initurus sit sibi suisque profuturam, sed ne iam senex ab omnibus deseratur? Re ipsa vero neque pristinam vivendi rationem abicit Demea neque usquam sibi discrepat: ex compluribus enim locis (V 4, 27; 7, 16; 8, 35) atque ex his potissimum verbis quibus roganti in extrema fabula Micioni " quae istaec subitast largitas? „ respondet Demea: " Vt id ostenderem, quod te isti facilem et festiuom putant, Id non fieri ex uera uita neque adeo ex aequo et bono, Sed ex adsentando, indulgendo et largiendo, Micio „ v. 986-88 manifesto apparet Demeam sibi semper constare. Iniuria eo etiam haeret v. d. quod in prima fabula Terentium Micioni favere appareat, in extrema vero triumphet Demea, cuius argumentis Micio nihil habeat quod respondeat, v. 986 sqq. At nec Demea nec Micio triumphat, sed in sua uterque sententia manet, et silentium Micionis quo spectet e v. 997 (" Micio: Istuc recte „) perspicitur. Fratrem laudat Micio quod Ctesiphoni psaltriam permittat: hoc unum curat, cetera nihili facit. Ergo neque victus erat neque a consuetudine sua recesserat. — Ex quo novam periclitari vitam Demea instituit seque ex illo agresti saevo tristi parco trucu-

---

[1] Hamb. dram. VII 319 sqq. ed. Lachm.

lento tenaci (v. 866: fr. XIII 'Εγὼ δ' ἀγροῖκος ἐργάτης σκυθρὸς πικρὸς Φειδωλός) mitem et clementem praebere, Micione ipso indulgentior largiorque fit. Non satis habet nuptiis Aeschini et Pamphilae consensum dare quin Sostratam quoque in domum fratris accipi velit, hunc ut mulierem ducat hortetur, Hegionis paupertati consulat. Ad Micionis et Sostratae nuptias quod attinet, negavit primus Lessingius eas ap. Menandrum fuisse idque ex Donati schol. ad v. 938 collegit: " Apud Menandrum senex de nuptiis non grauatur. ergo Terentius εὑρετικῶς, „ quod sic L. interpretatus est: senex nuptiis non oneratur, Sostratam ducere non iubetur (" beim Men. fällt man dem alten mit der heirat nicht beschwerlich, „) spreta Collmanni interpretatione: senex nuptiis non renititur (" beim Men. sträubt sich der alte gegen die heirat nicht. „)[1] Lessingii interpretationem secuti sunt Boettiger Spec. ed. Ter., Benfeius (p. 931) et Meinekius Men. p. 3,[2] alteram praetulerunt Grauertus Zimmermannus Teuffelius alii. Sed ut fere accidit neutris successit verum enucleare: propius ad veritatem accessit Ihnius. Qui quidem Collmanni interpretationem in universum secutus cum simul recte perspexisset nuptiis aliquantum refragari

[1] l. s. s. VII 446.

[2] Qui quidem etiam arguit Terentium quod τὸ πρέπον laeserit Sostratae et Micionis nuptiis introductis. " Hoc scio „ inquit " non semper optime consuluisse sibi Terentium, siquando suis ipse pedibus incedere tentaverit. Documento sit fabulae finis, in quo Aeschinus et Demea Micionem oppugnant precibus et ut facilis est homo lepidissimus ab eo impetrant, ut Sostratae vetulae illi et decrepitae mulieri nuptias polliceatur. In quo quam parum Terentius τὸ πρέπον servaverit facile intelleget quicumque ad totius fabulae rationem singularumque persona-

senem omnino debuisse,[1] hoc sibi persuasit, Donatum non id scripsisse " quod nos hodie legimus, sed non *tantopere* senem aut *alio modo* gravari apud Menandrum. „ — Si consideraveris scholium adferri ad v. 938 non ut par erat ad v. 934 ubi gravari incipit Micio vel ad Aeschini verba " Ne grauere „ 942 simulque reputaveris illud εὑρετικῶς nimium esse pro adaucta repugnantia senis nisi de additamento manifesto atque intra certos fines constituto fidem faciat,[2] non dubitabis quin Donatus dicere voluerit senem ap. Men. ex illo inde versu (938) non gravari versusque 938-944 unde senem amplius gravari conspicimus, ut Terentianum εὕρημα ap. Men. defuisse significaverit. Ad grammaticam quod attinet, si huius modi structura " gravor de aliqua re „ nusquam invenitur,[3] at certe longe errat

---

rum indolem attendat. „ Teuffelius contra adeo consentaneas totius fabulae rationi singularumque personarum ingenio Micionis nuptias existimat, ut ob id potius Terentium τὸ πρέπον laesisse putet quod Micionem nuptiis repugnantem fecerit, qui semper facilem lenemque se praestitisset. Ita ut Terentius seu Menandrum imitatus est seu de suo hoc commentum induxit, alterutram incusationem effugere nequeat. — Fuit etiam qui Donati scholio contempto scaenam totam interpolatori deberi defenderet, *Gröhe* mus. rhen. XXII 610.

[1] " Nam id agitur ut exsuperet fratrem liberalitate et comitate Demea idque ut Micio aegre ferat, vel certe nimium arbitretur esse. Quapropter et (V. 8, 1) subirascitur Demeae, quod is *maceriam in horto* dirui iusserat (V. 7, 10), et (V. 7, 27) invitus Hegioni agellum concedit, et (V. 9, 3) manumissione dignum esse Syrum aegre concedit. Hanc ob causam etiam nuptiis aliquantum certe refragari senem, prorsus necesse est. „ l. s. s. p. 31.

[2] Ad Hec. III 4, 1 Don.: " — in hac scaena donec perueniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα inducitur, cum hoc ostenditur (*ed. princ.* ostendatur) quid mali sit nauigatio. „ Et hoc εὕρημα quod dicitur XV versus complectitur.

[3] Attamen si comparaveris illud " Ne grauere „ v. 942 quod

Lessingius negans " gravor aliqua re „ posse umquam aliud significare quam " oneror aliqua re „ vel sim. En tibi testimonia et exempla (in lexicis desiderata) quibus " gravor aliqua re „ et " gr. aliquam rem „ nonnumquam idem valere apud paullo recentiores scriptores demonstratur: Prisc. II 284 K.: " Illi (Graeci) βαρύνομαι τοῦτο καὶ ὑπὸ τούτου καὶ τούτῳ — *gravor hanc rem* et *hac re.* „ [1] Schol. ad Iuvenal. II 6, 260: " — etiam sericis vestibus gravantur (*sc.* mulieres) „ i. e. etiam sericas vestes graviter ferunt. Tum Donatus ipse ad Eun. IV 2, 9 " Iam causa est, cum biduum grauetur loco tristi, cur solatium conquirendum „ hanc structuram adhibuisse videtur.[2] Quae cum ita sint, etiamsi Donati codices particulam " de „ omitterent, vix licuisset doctissimo viro interpretationem suam exhibere. Quam ob rem, comparatis iis quae supra exposuimus, equidem censeo Donatum ita scripsisse: " senex de*hinc* (d'ora in poi) nuptiis non grauatur „ sive " *exin*de, „

Donato occurrere potuit et adfines significatione voces " queror, doleo „ quae et quartum casum ut " gravor „ et sextum praefixa particula " de „ aeque recipiunt, tum autem spectaveris frequentem huius vocabuli usum ap. Don. hoc sensu (ad Phorm. IV 3, 56, Hec. I 2, 35, Eun. III 5, 6, IV 2, 9,) cum in significationem onerandi nusquam, nisi meae me fallunt scidae, apud eum usurpetur, his omnibus perpensis fatendum erit certe interpretationem Collmannianam grammatice melius defendi posse quam Lessingianam, si Donati locus integer esset.

[1] De una eademque significatione hic agi luculente declarant exempla quae Prisc. adfert. " Σοφοκλῆς ἐν Φιλοκτήτῃ τῷ ἐν Τροίᾳ· Ὀσμῆς †μου ὅπως μὴ βαρυνθήσεσθέ μου — ἀντὶ τοῦ ὑπὸ τῆς ὀσμῆς. Κρατῖνος ἐν πλούτοις· Μὴ | ξυντυχίᾳ βαρυνόμενοι. „ V. Soph. Philoct. in Troia fr. 630 p. 225 sq. Nauck. (cf. Philoct. in Lemno v. 890 sq.) et Crat. Pl. fr. 7 M. II p. 110 (166 K).

[2] Incertior est hic Donati locus ad Phorm. IV 3, 56: " Astute non protinus triginta minas dixit sed paulatim colligit, ut partibus congestis in summam senex minus grauetur „.

ex a priore voce repetito. — Veri similitudo huius sententiae, cui viam aperuit Ihnius, eo etiam augetur quod ut supra vidimus Terentius Micionem finxit nuptiis apertissime repugnantem (v. supra p. 135): consentaneum erat igitur et nunc repugnantiam eius exaggerari. Tum versiculus ille (940) de promissis ab Aeschino nuptiis Micionis et Sostratae, quem cum fabulae oeconomia minus congruere vel certe primo adspectu offendere perspexit Dziatzko Ad. *einl.* 4 sq., rectius explicatur, si non satis apte additus a Terentio censetur, quam si cum Dziatzkone inde efficitur Aeschinum ap. Men. cum Sostrata et Pamphila prius collocutum esse. Cum enim ea verba Aeschinum ostendant extrema periclitantem ut renitenti patri nuptias suadeat, nullo pacto inveniri potuerunt ap. Men., quomodocumque Donati scholium interpretaris. — Quod vero ad rationem spectat additamenti, quoniam " Terentium fauere lenissimis patribus „ atque inprimis Micioni adnotavit Donatus ad II 2, 61, possis suspicari cavisse eum ne Romano spectatori ridiculus nimis videretur homo senex ducens uxorem: idcirco Micionem et nuptiis quam maxime reluctantem factum et propter Sostratae solitudinem quodam modo excusatum.[1]

---

[1] Praeter testimonia et fragmenta quae suo quodque loco examinavi adferam haec incertiora: ad I 1, 44 Don. " qui officium suum, ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν id est qui recte facit, „ ad I 2, 40 rettulit Kockius graeca verba ἱμάτιον ἀκούμεθα (fr. 864 K.), ad III 3, 32 quadrat gr. prov. τὰ πρὸ ποδῶν, cf. Enn. Iphig. fr. VIII v. 3 R. " quod est ante pedes noenu spectant: caeli scrutantur plagas, „ ad III 4, 20 Don. " aequalem, ὁμήλικα, „ ad III 4, 45 " uobis decet, ὑμῖν πρέπει et deest *facere*, „ ad IV 5, 28 " factum duriter, — quod Graeci dicunt ἀτενές „ (sic vulgo:

codd. HTAΠTeCTOS et HTAΠιεcτos ap. Lindebr.), ad V 9, 28 " prolubium, quod Graeci προθυμίαν „ cf. Caecil. Hypobl. Rast. fr. VI R. " quod prolubium, quae uoluptas, quae te lactat largitas? „ — Quod fragmenta IV, VII, XI, XIV (CGF IV p. 70-72: 5, 12, 8, 11 K.) negleximus, quibus nullam in Terentiana fabula aptam sedem invenire licuit, hoc felici Schoellii coniecturae debetur " Iahrb. f. phil. „ v. 119 [a. 1879] p. 44 sqq., qui ex fragm. in schol. ad Plat. p. 319 Bkk. ubi Menandri Ἀδελφοί β' memorantur et ex eo loco Terentiano ad quem fr. pertinet (v. supra p. 141) effecit duas hoc nomine inscriptas Menandri fabulas extitisse, quarum alteram (Ἀδελφοί α') Plautus in Sticho, auctore didascalia ambrosiana a Studemundo eruta, alteram Terentius imitatus sit. Ad fr. IV quod attinet non dixerim cum Dziatzkone Adelph. 6' *einl.* ad Ad. III 2 sec. Meinek. vel sec. Ihn. ad III 4 referendum esse, sed propter illud τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν (improbos homines arbitros facere) ad alterutram Antiphonis filiam in Sticho (cf. I 2, praecipue v. 71 et 87) fragm. pertinere existimaverim. Ad Stichum etiam rettulit Dziatzko l. l. illud χαῖρ', ὦ φίλη γῆ κτλ. (VIII s. Ἁλιεῖς M.): recte fortasse.

III.

EPILOGVS

§ 1. — DE RATIONE COMPONENDI TERENTIANA EX FONTIVM VSV DVCTA.

I. Terentius fatetur se constanter studuisse ut populo placerent quas ipse scripsisset fabulas And. prol. 1-3, Ad. prol. 18-19. Hoc vero qua ratione viaque poeta sibi consequendum putaverit, quantum saltem ad usum spectat fontium, apertius apparebit, si quae de fabulis singulis singillatim disseruimus unum sub adspectum redigamus palliataeque Terentianae imaginem quam absolutissime poterimus effingamus. Quarum rerum tractatio bipartito dispergitur prout quaeque exemplaris mutatio locos singulos sententiasque aut oeconomiam respexit. Atque inprimis, ut de illis primum loquar, non nihili referre arbitror, quo vertendi genere usus Terentius sit et quatenus eius scriptura ad exemplum graecae vitae et comicae Graecorum consuetudinis exacta videatur. Quamvis enim per fragmentorum paucitatem ac brevitatem adsequi vix liceat quam fideliter Terentius ceterique scaenici veteres eos locos expresserint, quos a Graecis mutuati sint, attamen inter interpretationem, quae est interpretatio ita uti nomen possidet, et eorum

interpretationem non parum interfuisse cum e Ciceronis Horati aliorum testimoniis facile colligitur, tum illa comprobatur consuetudine, qua publica materies, si quis exemplaria graeca paullo liberius[1] tractavisset, privati iuris fieri existimabatur.[2] Quod igitur latini scriptores, quibus facilis ad graecos fontes patebat aditus eratque soluta eligendi optio, atque Tullius inprimis Terentianos locos pro Menandreis adferre consueverint, mirandum omnino non est, et errat longissime Schroeder cum ait eos locos qui Terenti nomine a Cicerone adferuntur, si non circa verba sed circa res versentur, uni Terentio vindicandos esse.[3] Ceterum debuisse poetam, si quid aliunde adsumptum in quadrum redigeret, sententias quasdam huc et illuc infercire et quasi rimas explere cum per se maxime est veri simile tum ipse huic rei auctor est Terentius, qui Lusci diligentiam dum aspernatur conscius esse videtur quam longe suum interpretandi genus a mera interpretatione distet dumque se locis Perinthiae " pro suis „ usum esse fatetur ostendit sibi licuisse vel sua graecis miscere. Quodsi comoedias ipsas perscrutamur, re vera non desunt proverbia mere romana, lusus verborum, dicta ad Romanorum consuetudinem apta. Huius modi sunt proverbia quae commemorantur his locis: And. 845, 941, Hec. 203, Heaut. 672, 673, 795,[4] 931, Eun. 73, 380, 381, 490, 640, 1024, 1085, Phorm.

---

[1] Siquando Terentius contrarium confessus est, Ad. prol. 11, id non sine causa factum esse supra docuimus p. 118.

[2] Hor. a. p. 131 sqq. Cf. G. Giri " Del tradurre presso i Latini, Milano 1889 „ p. 10-11.

[3] De rom. mor. q. s. p. 6 sq.

[4] Cf. supra p. 76.

68, 79, 325 (cf. 695), 330, 768, 780, Ad. 958;[1] lusus verborum: “ uerba — uerbera „ Heaut. 356, “ quod fors feret feremus „ Phorm. 108, “ suo suat „ Phorm. 491, “ perpaucorum hominum est. — Immo nullorum, arbitror, si tecum uiuit „ Eun. 409;[2] verba ad romanas res spectantia: “ huic nostro traditast prouincia „ Heaut. 516, “ prouinciam cepisti duram „ Phorm. 72, “ centurio, manipulus „ Eun. 776, “ impluuium, pluuium „ Phorm. 704,[3] Eun. 589, “ principia „ Eun. 781, “ unciatim „ Phorm. 43, “ Ego in insidiis hic ero subcenturiatus, si quid deficias „ Phorm. 229, “ hi gladiatorio animo ad me adfectant uiam „ Phorm. 964.— Porro graecorum nomina deorum quae in exemplaribus inveniebantur commutavit Terentius ubi necessitas quaedam intercessit: cumque illius temporibus Graecorum numina iam Romam migravissent riteque etiam ap. eum Ζεύς Iuppiter factus, Ἥρα Iuno, Ποσειδῶν Neptunus, Παλλάς Minerva, Ἀφροδίτη Venus, Ἄρτεμις Diana Ad. 852, Δημήτηρ Ceres, Διόνυσος Liber

---

[1] Neque id tamen ad vivum reseco, ut ex his nulla graecis quae nunc deperditi sint proverbiis respondisse dicam; sed haec sunt quae de graecis conversa esse mihi non constat. Multo plura vero aut ad verbum de graeco transversa aut parum mutata exhibuit poeta. Cf. A. Otto. “ Die sprichwörter der Römer, Leipzig 1890. „ — Nonnulla etiam neglexit poeta, sive quod congruens latinum non extaret sive quod properanti ad eventum incommodo essent. Cuius generis haec sunt: Heaut. fr. 147 K. Πύθια καὶ Δήλια, Eun. fr. 5 (191 K.) συστομώτερος σκάφης, Eun. fr. 192 K. λύκου πτερά, Colax fr. 300 K. (cf. supra p. 104) βοῦς Κύπριος, Ad. fr. 7 K. (cf. supra p. 139) γυμνοτέρα παττάλου.

[2] Cuius generis sales quantum frequentaverit Plautus sciunt omnes: ad eos respexit Horatius a. p. 270-74. Quoad Mil., Men., Capt. exempla collegit Brixius in praefatt.

[3] Saepissime ap. Pl.: Amph. 1108, Mil. 159, 175, 287, 553, alibi.

inveniatur, loco Dianae Iuno Lucina invocatur a parturientibus[1] atque in iuris iurandi formulis (pol, edepol, ecastor, hercle, mehercle, eccere)[2] Pollucis, Castoris, Herculis, Cereris (?) nomina comparent ex more loquendi Graecis quidem non ignoto, sed Romanis usitatiore.[3] Eadem de causa, ut ad usitatius loquendi genus propius accederet, et μυρρίνας verbenas non myrtos poeta transvertit, And. 756,[4] et Pyrrum pro Alexandro in exemplo posuit, Eun. 783.[5] Interdum, idque perraro, numina etiam commemoravit Romanorum tantum propria, ut est Fors Fortuna (Phorm. 81), Salus (Hec. 338, Ad. 761), Penates[6] (Phorm. 311), Genium (And. 289: mss. *ingenium*).[7] Quantum autem ad nomina spectat personarum, quonam poeta consilio ea saepe mutaverit, certa ratione statui nequit; fallitur enim Koenighoffius arbitratus Terentium spectavisse in hac re " ut personis nomina inderet quae earum moribus magis responderent quam a Menandro

---

[1] V. supra p. 39[2].

[2] Phorm. 319. Cf. Paul. Fest. p. 78 M., Ribbeck. Lat. Part. p. 43 sq.

[3] Neque umquam Terentius, ut interdum Plautus, formulas iurandi graecas graecis verbis expressas reddidit.

[4] V. supra p. 41[2].

[5] V. supra p. 104.

[6] Lares saepe nominat Plautus (Merc. 834, Trin. 39 sq., Mil. 1339, Rud. 1206). Incertum num quid in graecis exemplaribus responderit, ut ἐφέστιοι θεοί vel sim.

[7] Forsitan graecus poeta δαίμων dixerit, cf. fr. 550-51 K. — Apud Plautum non modo Salus et Fortuna saepe commemorantur (Capt. 529, 864, Cist. 467, Poen. 128, Asin. 713-718, Bacch. 879), sed etiam Lux, Laetitia, Gaudium (Capt. 864), Spes, Opis, Virtus, Polluces (Pollux Capitolinus), Submanus, Sol (Bacch. 894-95), itemque Opportunitas, Commoditas (v. Lorenz. Pseud. 22 *einleit. anm.* 20).

imposita „. Immo contrarium factum esse docuimus de Chaerestrato (Phaedria), Chryside (Thaide), Lampria (Micione?), Chremete (?):[1] ut locus Donatianus de etymologia et ratione nominum comica[2] in graecas magis quam in Terentianas fabulas quadrare videatur. Itaque cur de Davo Parmenonem, de Struthia Gnathonem, de Biante Thrasonem, de Simone Lachetem (?) poeta fecerit aut cur Rhodium pro Cyprio commemoraverit in Eun. v. 498 (v. supra p. 103), fateor me nescire. Hoc denique adnotandum est nomina personarum mere latina nusquam inveniri apud Terentium, sed vel mutatis graecis graeca substituta esse: quod cum de titulis quoque fabularum factum sit, hoc eidem illi graecorum exemplarium studio et observantiae deberi videtur, de qua supra (p. 4-5) locuti sumus.[3]

Sed ut ex his levioribus et cuiuslibet ferme paullo solutioris translationis propria ad graviora pergamus,

---

[1] V. supra p. 83 n., 82 n., 128 n., 86 n.

[2] Ad. Ad. I 1, 1: " Nomina personarum, in comoediis duntaxat habere debent rationem et etymologiam. etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere: uel nomen personae incongruum dare, uel officium quod sit a nomine diuersum. hinc seruus fidelis Parmeno: infidelis Syrus uel Geta: miles Thraso uel Polemon: iuuenis Pamphilus: matrona Myrrina: et puer uel ab odore Storax uel a ludo et a gesticulatione Circus: et item similia, in quibus summum poetae uitium est, si quid e contrario repugnans diuersumque protulerit, nisi per ἀντίφρασιν ioculariter nomen imponit, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. et fere hoc modo apud alios a poetis nomina componuntur describenda per ἀντίφρασιν, quod designat Storax „. (Ritschel. op. phil. III 350).

[3] Contra personarum nomina latina non desunt ap. Plautum: cuius generis sunt Peniculus, Saturio, Curculio, Truculentus.

in universum aestimanti statim apparet vitam et consuetudines Graecorum servatas esse a poeta quotiescumque id sine romani spectatoris offensione fieri potuit. Cum enim " boni poetae „ quos sibi Terentius imitandos proposuerat res consuetudinesque Graecorum iam pridem romanae scaenae intulissent, pleraque vel mere graeca Romanis innotuisse absurdum non est, cum praesertim et argumentorum ambitus intra certos fines constitutus esset (Eun. prol. 37-40) et nova comoedia utpote quae circa hominem hominisque naturam plerumque versaretur certorum temporum locorumque vestigia rarissima prae se ferret. Quicumque igitur ex utriusque aetatis indole et ratione argumenta ad hanc rem petere voluerit, caveat necesse est ne huius modi indiciis nimio plus tribuat quam par est.[1] Qua de re si nihil aliunde docemur aut potioribus nisi indiciis argumentamur, tales in graecis fabulis fuisse senes matronas adulescentes meretrices servos parasitos lenones existimamus, quales apud Terentium repraesentantur. Itaque nec Regelio facile concesserim l. s. s. p. 15 servos ap. Ter. inclementius tractatos esse quam ap. graecos comicos, nec Donato saepius adnotante bonas meretrices facere Terenti esse animum induxerim hoc unius merito Terenti factum existimare, siquidem eo quem supra attulimus p. 54 Plutarchi loco scriptum accepimus meretrices

---

[1] Ut unum de multis adferam, si quis ea legeret ap. latinum comicum quae Menander habet fr. inc. 30 (560 K.), qui posset omnia non a latino poeta inventa existimare, quibus Catoniana domestica gubernatio accurate definiatur, cf. Plut. Cat. mai. 21?

bonas etiam a Menandro introductas esse. At si omnia, ut par est in palliata, a vita moribusque Graecorum plerumque pendent, altera ex parte operam dedit poeta eamque diligentissimam, ut quae paullo a romanis moribus remotiora essent ad romani spectatoris intellectum accommodaret. Idque triplici consecutus est ratione, scilicet aut commutando aut addendo aut demendo. Commutavit Epidicazomeni titulum, et omissa detonsae comae mentione pro tonsore adulescentem quendam nuntium fecit Phorm. I, 2, 41; tum leges consuetudinesque atticas latius interdum explicavit Phorm. I 2, 75-76, II 1, 5-8, 62-63 (v. supra p. 108 sq.) et res mere romanas tetigit[1] Heaut, II 3, 49, Eun. II 2, 26, Phorm. V 9, 37 sqq. (v. supra p. 72 n., 103, 113) itemque Ad. V 9, 13 (ubi fit *manumissio inter amicos*), Eun. II 3, 21 sqq. (ubi strophium vel mamillare significari autumat Becker. Gallus ed. Göll. III 257 sq.) Eun. 1021, Phorm. 220 (ubi furca subintellegitur tamquam servorum poena, cf. Marquardt. I 192 sq.): sustulit denique nonnulla quae romano spectatori obscura esse poterant: cf. fr. Per. ap. Harpocrat. p. 160 (v. supra p. 28), fr. Heaut. VI M. (145 K.: v. supra p. 73), fr. Per. VII M (399 K.: v. supra p. 49). Itemque Samothracum initiorum mentione sublata Phorm. I 1, 15 effecit poeta ut de aliis initiis Romanorum propriis spectator cogitaret, v. supra p. 109 sq.; eademque ratione “ festi dies „ quibus

---

[1] Id unus omnium saepissime fecit Plautus. Cf. Trin. 407 sq., 990, Curc. 269, 470-85, Pseud. 748, 1232, Stich. 353, Capt. 489, Rud. 535, Pers. 433, 440 et cet. — Cf. etiam Giri. “ Del tradurre ecc. „ p. 156 sq.

Sostrata sese abstinere velle ait Hec. 592 Thesmophoria nimirum erant; at romanus spectator ludos profecto interpretatus est.[1] Praeterea cum Davus ait se Pamphili quaerendi causa ad forum percurrisse atque " ibi in quendam excelsum locum „ ascendisse, unde erilem filium conspiceret And. 356, nemo non videt vix licuisse servo coram Atheniensibus loquenti ille locus quis esset reticere.[2] Ita etiam Ad. 573 et Eun. 234 Terentius propriis communia et universalia substituisse censeri potest.[3] Semper tamen cavit poeta ne propriis graecis latina propria substitueret. Quin etiam si memineris commentum illud Terentianum de Chaerea publico in Piraeo custode (v. supra p. 89 sqq.) simulque ea reputaveris quae Donatus adnotavit ad Ad. 175 " *regnumne, Aeschine, hic tu possides?* bene *hic* id est Athenis ubi grauius crimen est dominari uelle, „[4] manifesto apparet in ea re elaborasse Terentium, ut eam quam sibi ipse graecae vitae imaginem finxisset quo potuit accuratius expressam redderet, non eam quae licet vera non tamen esset Romanis familiaris et vulgata — a Plauti neglegentia cum graecis latina miscentis atque ab angusta diligentia Lusci bene vertentis et male scribentis[5] aeque alienus.

---

[1] Ludos aperte commemorat Plautus Rud. 535, Pers. 433.

[2] Spengelius And.[2] ad h. l. " als solcher konnte in Athen der κολωνὸς ἀγοραῖος an der westseite der ἀγορά dienen, oder die stufen eines der öffentlichen gebäude an den seiten der ἀγορά. „

[3] Contra ap. Pl. Capitolio, ex. gr., quod memoratur Curc. 269, ἀκρόπολις in graeca respondisse censeri potest. Terentius " arx „ Hec. 431.

[4] Cf. Phorm. 405 et Hermann. " Griech. staatsalt.[5] „ p. 470 sq.

[5] Et in Lusci quidem Thensauro notavit Terentius " contra

II. Ad oeconomiam quod attinet, eam Terentius secutus est viam, ut rem variaret et locupletaret, simul vero prospiceret ne eventum retardaret. Atque haec trifariam egit. Videlicet

A. Longis narrationibus et monologis actiones et colloquia substituit. Itaque *a)* in Andria monologum Simonis Andriae Menandreae proprium subsidio paene similis Menandreae fabulae in scaenae formam redegit,[1] *b)* pro Syri *narratione* Menandrea raptionem *actam* Diphileae fabulae Adelphis inseruit, *c)* Eunucho addidit personam Antiphonis III 4 quicum loqueretur Chaerea III 5, et Parmenonem sine necessitate interloquentem II 1 aut sine causa prodeuntem V 8 fecit, *d)* alteram Heauton timorumeni partem (de amore Ctesiphonis) et quae IV 1 narrabantur ap. Men., si vera coniecimus,[2] in scaena agi maluit.

B. Argumento fabulae permittente, alias aliunde adscitas personas vel a se ipso inventas adiecit fabulae. Eius modi sunt *a)* in Eun. militis et parasiti personae de Colace sublatae, *b)* personae Charini et Byrriae Andriae Menandreae additae.

C. Ad eventum festinavit resectis quae ad rem non erant. Idcirco *a)* sententias generales et redundantes vel prorsus omisit vel breviavit itemque longiusculas enumerationes: And. fr. I (48 K.) τὸ δ᾽ ἐρᾶν κτλ., fr. II (42 K.) καὶ τεττάρων φῶν κτλ., fr. IV (39 K.)

---

naturam iurisque consuetudinem (sc. Romanorum) posita argumenta. „ Don. ad. Eun. prol. 10.

[1] Eadem de causa Turpilius quoque videtur principio Ἐπικλήρου Menandreae servi personam addidisse. CGF IV 116 sq.

[2] p. 71 sq.

εὑρετικὸν κτλ., Heaut. fr. II (141 K.) λουτρὸν κτλ., fr. VI (145 K.) οἴκοι μένειν κτλ., fr. VII (146 K.) μετ' ἄριστον κτλ., Eun. fr. IV (189 K.) πάντα τὰ ζητούμενα κτλ., Ad. fr. VIII (4 K.) ἔργον εὑρεῖν κτλ. Quibus haec fortasse addi possunt: inc. fab. Men. 36 (566 K.) χαλεπόν, Πάμφιλε, κτλ., [1] Men. fr. inc. 109 (645 K.) ὅταν φύσει κτλ., Men. inc. 88 (635 K.) καλὸν οἱ νόμοι κτλ., gn. m. 242; [2] *b)* principium Eunuchi in brevius contraxit, *c)* narravit quae in graeca agebantur Hec. V 3, 33 sqq., [3] *d)* resecuit *multiloquia* et *Plautinas nugas,* [4] *e)* sublata inutili resalutatione (Don. ad And. I 2, 1) celeriorem concitatioremque effecit orationem, *f)* quae alterius personae verba erant (Chaerestrati, Demiphonis) alteri demandavit (Davo Eun. I 1, 1 sqq., Getae Phorm. IV 3, 42) atque ita per ἀνθυποφοράν orationem quodam modo condensavit.

Sed oeconomiam graecae fabulae vix umquam poetae licuisset perturbare. nisi rerum coagmentationi, ita ut dicam, arte sua prospexisset. Cui rei inserviens Terentius alia praeparavit ad mutatam fabulae conditionem accommodata, alia commutavit commutatae fabulae ut responderent.

---

[1] V. supra p. 53.

[2] V. supra p. 139[2].

[3] V. supra p. 60 sqq. Id vero etiam aliunde pendere possumus suspicari, cf. p. 63.

[4] V. supra p. 101[1]. Huius modi autem nugae aeque ac longa soliloquia servis currentibus in via laetasque res renuntiantibus fere attribuuntur. V. Pl. Stich. II 1, Curc. 3, Men. I 2. Qui quidem currentes servi minime adriserunt Terentio, Heaut. prol. 37, et ab illo uno quod apud eum reperimus huius modi personarum exemplo And. II 2 vana et scurrilia verba omnino absunt.

A. Praeparandi causa *a)* in prima Andriae scaena, v. 35-41, obsequens Pamphili ingenium urgetur, *b)* additis nonnullis Eun. I 2 veri fit similius Parmenonem erili filio vitiandae Pamphilae auctorem esse, *c)* iurgium inter Thaidem militemque praenuntiatur Eun. III 1, 45-55,[1] *d)* Chremes ebrius ostenditur Eun. IV 5 (cf. supra p. 98).

B. A mutata fabulae oeconomia haec pendent: *a)* in And. Sosiae persona argumento immiscetur, *b)* ad excusandas nuptias Micionis in Adelphis et senis repugnantia adversus nuptias attenuatur I 1, 18-19[2] et Hegio cognatus tantum non frater Sostratae fingitur III 4, 48, *c)* Geta suis oculis raptionem Pamphilae vidisse dicitur Ad. 329 (cf. supra p. 138), *d)* Chremes senex in Eun., rivali amatori ut opponatur, adulescens fingitur, *e)* in Eun. quae Thrasonem (Biantem) respiciebant, ea ad Chremetem referuntur (v. supra p. 96), *f)* exitui fabulae novae introductae personae implicantur, Eun. V 7, V 8 (v. supra p. 105).[3]

§ 2. — DE FONTIVM VSV TERENTIANO IN RE METRICA.

Versuum genera apud graecos novae comoediae scriptores usitata recensuit Meinekius in hist. com.

---

[1] Cf. supra p. 97 et adnot. 2.

[2] V. supra p. 135 sqq.

[3] Euanthius " de trag. et com. „ haec habet de Ter. fab. oeconomia: " — adde quod argumenti et stili ita attente memor est ut nusquam non cauerit ea quae obesse potuerunt, tum quod media primis atque postremis ita nexuit ut nihil additum alteri sed aptum ex se totum et uno corpore uideatur esse compositum „. Attamen non semper optime rem suam egisse Terentium supra demostravimus, p. 31, 34 et adnot. 2, 70, 83, 134, 141, 142[1], 147.

p. 441-45, quem tantum non excripsit Koenighoffius " de ratione q. s. „ p. 8 sqq. Meinekianae investigationis summa haec est: Menandrum ceterosque novos comicos iambicis trimetris ut plurimum usos esse (anonym. de com. XXXII), quibus nonnumquam tetrametros admiscuerint trochaicos (Mar. Victor. a. gramm. GLK. VI 57, Heph. p. 65, 24): apud Menandrum quidem et Diphilum, idque rarissimo — quantum saltem ex fragmentis conici potest, — etiam Eupolideum polyschematistum reperiri (Mar. Vict. ibid. p. 104): unius Diphili proprios hexametros dactylicos: Choerilium itidem metrum sive Diphilium, quia Diphilus frequenter eo usus sit ita appellatum: porro anapaesticorum versuum duo tantum exempla extare, quorum unum e fabulae exordio desumptum esse narratur. — His metris accedit trochaica tripodia acatalecta (μέτρον ἰθυφαλλικόν) quam in Phasmati Menandrum adhibuisse auctores sunt Caesius Bassus et Atilius Fortunatianus.[1] — Haec sunt metrorum genera quae novae comoediae poetas frequentavisse accepimus. E quibus, ad latinam comoediam ut transeam, Terentius iambicos trimetros et tetrametros trochaicos tantum recepit (senarios et septenarios) neque hoc adeo ea ratione ut simili graeco metro latinum semper responderet simile. Licet enim iambici trimetri graeci et latini consentiant his locis: And. II 4, 3 εὑρετικὸν κτλ., Hec. I 1, 1 ὀλίγαις ἐραστὴς κτλ., Heaut. I 1, 9 πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς κτλ., Eun. I 1, 31 μὴ θεομάχει κτλ.,

---

[1] GLK. p. 255, 10. Cf. praeterea Diph. Ἀνασῳζ. fr. I M. et Gaisf. ad Heph. p. 341.

III 2, 45 γελῶ κτλ., interdum tamen iambico graecae fabulae trimetro respondet vel septenarius trochaicus latinae (versus quadratus), ut And. II 2, 32 τὸ παιδίον κτλ., Ad. III 1, 8 εἰ δ'ἔστιν οὗτος κτλ., V 4, 12 ἐγὼ δ'ἀγροῖκος κτλ. vel iambicus octonarius, ut Ad. IV 3, 14 — πρὸς ἅπαντα κτλ. Quibus certis exemplis si fragmenta addideris quae facile sub trimetri iambici formam redigi possunt, latinos et graecos trimetros consentientes habes his locis: Heaut. I 1, 78 λουτρὸν κτλ., Eun. IV 4, 21 [Χαιρέστρατ',] οὑτοσὶ κτλ., Phorm. I 2, 37 ἡμεῖς μὲν κτλ., IV 1, 9 τὸ γῆρας κτλ., IV 1, 21 ἐγὼ γάρ εἰμι κτλ., Ad. I 1, 18-19 — ἐγὼ Μακαρίζομαι κτλ., dum trimetris iambicis graecis respondent trochaici septenarii And. IV 3, 11 ἀπὸ Λοξία κτλ., Hec. III 1, 6-7 οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες κτλ., III 3, 20 οὕτως ἕκαστος κτλ., Phorm. III 2, 21 [ὥς φασι] τῶν ὤτων κτλ., III 3, 29 μόνος γὰρ κτλ., Ad. II 1, 44 — αὐτὸς δὲ παίων κτλ. et iambici octonarii Hec. II 1, 17 σὺ [μὲν ἐ]μὲ κτλ., Ad. II 2, 8 [θαυμαστόν ἐστι μηδαμοῦ] Καιρῷ κτλ. Quodsi etiam reputaveris vel in ceteris fragmentis quae paullo utpote incertiora aut non ad verbum Terentianis locis expressa omisimus alius metri quam iambici trimetri exemplum extare nullum, cum tot sint metra Terentio frequentata, liquido apparet Terentium, etiamsi a varietate metrorum Plautina alienum, et ipsum tamen ieiunitatem metrorum novae comoediae sprevisse:[1] quo etiam pertinet Quintiliani reprehensio: “ [Terenti scripta] sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae si intra

[1] Cf. Mar. Victor. GLK. VI 78-79.

trimetros stetisset. „ X 1, 100. — Utrum vero priscam Graecorum comoediam, ad hanc rem quantum spectat, comici latini ante oculos habuerint[1] an propter varietatem solum metrorum id visi sint fecisse, nunc non quaero: hoc tantum adfirmo, ex iis metris quae Terentius adhibuit nonnulla etiam fuisse priscae comoediae scriptoribus aut prorsus ignota aut rarissimo admissa. Etenim octonarios iambicos et trochaicos (i. e. tetrametros acatalectos) in latina comoedia frequentissimos numquam adhibuerunt graeci comici veteres, nisi forte eius modi versus a graecis hypermetris originem ducunt,[2] et bacchiaci tetrametri acatalecti in canticis comoediae latinae non infrequentes nusquam reperiuntur apud Graecos. — Quodsi quis anquirat quonam vinculo metrorum genera et scripturae sententia inter se contineantur, quia pro trimetris graecis versus graecae comoediae extraneos ap. Terentium nonnumquam positos supra deprehendimus, in aprico est non necessario putari versibus mere romanis mere romanas res significatas. Quam ob rem metrorum rationi nimium Christius tribuisse mihi videtur qui haec adfirmaverit: " Von bedeutung ist — auch der umstand dass die bacchiischen cantica durch den hausbackenen inhalt und den mangel rhetorischer figuren (vgl. besonders Most. I 2) sich als selbständige schöpfungen

---

[1] Mar. Victor. ibid. " Nostri — in modulandis metris seu rhythmis veteris comoediae scriptores sequi maluerunt id est Eupolin Cratinum et Aristophanem „ q. s. Cf. Rufin. de metris com. GLK. VI 564.

[2] Cf. H. Gleditsch. Metrik der Griech. u. Röm. (I. Müllers handbuch) p. 827, 828.

der römischen dichter, nicht als übertragungen griechischer originale hund geben. „[1] Accedit, ad Terentium quantum spectat, quod in Andria hoc ipso metro (481-84) res mere graecae tractantur, v. Don. ad v. 483.

[1] Metrik[2] p. 417.

I. - INDEX FONTIVM COMPARATIVVS

Asterisco notavi incertiora

ANDRIA

(ex 'Ανδρία et Περινθία Men.).

[1] V. Meinek. suppl. add. p. 261. Omisit Kockius.

HECYRA

(ex Ἑκυρά Menandri, v. p. 50 sqq.).

HEAVTON TIMORVMENOS

(ex Ἑαυτὸν τιμ. Men.).

EVNVCHVS

(ex Εὐνοῦχος et Κόλαξ Men.).

III 1, 50*	Don.	p. 97
III 2*	ex Col. 300 K.	104
III 2, 45	II Col. M., 297 K.	103
III 4, 1	Don.	p. 93 (cf. 79)
III 5*	Don. ad And. V, 5, 3	97 n. 3.
IV 1*	Lucian. dial. mer. XV	94 n.
IV 4, 21	Don. III M., 188 K..	p. 98 et n. 1
IV 6, 16*	VI M., 193 K..	p. 100
V 5, 31	Don. VII M., 194 K.	98 n. 3
?	IV M., 189 K..	101
?	192 K..	„

PHORMIO

(ex 'Επιδικαζόμενος Apollodori).

Phormio (Φορμίων)	Don. praefat. et ad prol. 26.	p. 112 n. 2 (cf. 111)
I 1, 5*	Don.	p. 116
I 1, 15	Don. I M., 14 K..	109 sq.
I 2, 22*	Don.	116
I 2, 28*	prov. gr..	„
I 2, 37	Don. II M., 15 K.	115
I 2, 41	Don. III M., 16 K.	110
I 2, 56*	Don.	110 n.
I 3, 16*	—	116
I 4, 9*	—	„
I 4, 17*	—	„
II 1, 51	—	115
II 2, 25	—	112 sq.
II 3, 46	—	111 n. 2
III 1, 18	Don. IV M., 17 K.	„
III 2, 21	Don. V M., 18 K.	115
III 3, 29	Don. VI M., 19 K.	„
IV 1, 9	Don. VII M., 20 K..	116
IV 1, 21	Don. VIII M., 21 K.	„
IV 3, 42	Don. IX M., 22 K.	110 sq.
IV 3, 56	Don.	116
IV 3, 63	Don. IX M.. 23 K.	„
IV 5, 14*	Eurip. Hel. 830, anon. 284 M. .	„
V 1, 4*	Don.	„

ADELPHOE

(ex Ἀδελφοὶ β' Men. et Συναποθνήσκοντες Diphili).

II. - INDEX TRACTATORVM LOCORVM

